# DE CEORUM FABULIS ANTIQUISSIMIS QUAESTIONES SELECTAE.

I.

Typis M. J. Portielje, Amstelodami.

# DE CEORUM FABULIS ANTIQUISSIMIS QUAESTIONES SELECTAE.

## (Pars prior.)

DISSERTATIO INAUGURALIS, QUAM EX AUCTORITATE RECTORIS MAGNIFICI HECTORIS TREUB, MED. DOCT., IN FAC. MED. PROF. ORD. NOBILISSIMAE FACULTATIS LITTERARUM HUMANIORUM ET PHILOSOPHIAE THEORETICAE DECRETO PRO GRADU DOCTORATUS SUMMISQUE IN LITTERARUM CLASSICARUM DISCIPLINA HONORIBUS AC PRIVILEGIIS IN UNIVERSITATE AMSTELODAMENSI RITE ET LEGITIME CONSEQUENDIS PUBLICO EXAMINI SUBMITTET PHILIP GERARD GUNNING AMSTELODAMENSIS DIE XII MENSIS DECEMBRIS ANNI MCMXII HORA III.

AMSTELODAMI IN AEDIBUS IOHANNIS MÜLLER.
ANNO MCMXII.

# THESES.

I.

In fabulis Ceis enarrandis Callimachus iuxta Xenomedis historiam sacras insulae ipsius traditiones secutus est.

II.

Fabulam de leone Ceo Callimachus sine iusta causa cum Nympharum Coryciarum historia coniunxit.

III.

Telchines non e Creta sed ex Asia oriundi sunt.

IV.

Cydippes persona Athenis in insularum fabulas transiit.

V.

Suidae locus *Σαπφώ . . . . . γεγονυῖα κατὰ τὴν μβ' Ὀλυμπιάδα, ὅτε καὶ Ἀλκαῖος ἦν καὶ Στησίχορος καὶ Πιττακός*, ita intelligendus est, ut annis nonnullis minor Sappho dicatur quam Alcaeus.

VI.

Eur. Alc. 632 cum Weidnero legatur:

*οὐ γάρ τι δώρων ἐνδεὴς ταφήσεται.*

## VII.

Eur. Alc. 636-641:

*οὐκ ἦσθ' ἄρ' ὀρθῶς τοῦδε σώματος πατήρ,*
*οὐδ' ἡ τεκεῖν φάσκουσα καὶ κεκλημένη*
*μήτηρ μ' ἔτικτε· δουλίου δ' ἀφ' αἵματος*
*μαστῷ γυναικὸς σῆς ὑπεβλήθην λάθρᾳ.*
*ἔδειξας εἰς ἔλεγχον ἐξελθὼν ὃς εἶ,*
*καί μ' οὐ νομίζω παῖδα σὸν πεφυκέναι.*

Versus 636—640 iniuria vexati sunt, delendus autem est versus 641.

## VIII.

Thuc. IV, 18, 4 *σωφρόνων δὲ ἀνδρῶν οἵτινες τἀγαθὰ ἐς ἀμφίβολον ἀσφαλῶς ἔθεντο, κτέ.*

Non audiendus est Steup, cum post *ἀμφίβολον* inserendum censet *τὸ μέλλον.*

## IX.

Lucr. V, 200 sqq.

Principio quantum caeli tegit impetus ingens,
Inde avidam partem montes silvaeque ferarum
Possedere, tenent rupes vastaeque paludes
Et mare quod late terrarum distinet oras.

Vs. 201: cum v. d. Munro pro „avidam", codicum lectione, legendum est „avidei".

## X.

Prop. I, 3, 40 sqq:

Nam modo purpureo fallebam stamine somnum,
  Rursus et Orpheae carmine fessa lyrae
Interdum leviter mecum deserta querebar
  Externo longas saepe in amore moras.

„Fessa" appositionis loco ad sequentis versus subiectum pertinet.

## XI.

Prop. I, 18, 11-12:

Sic mihi te referas, levis ut non altera nostro
Limine formosos intulit illa pedes.

Interpungendum est cum v. d Rothstein post „referas", „levis" autem non animi condicionem spectat, sed corporis motuumque elegantiam. Vox „illa", codicis Neapolitani lectio, cur mutetur, iusta causa mon exstat.

## XII.

Prop. II. 7, 7—8:

Nam citius paterer caput hoc discedere collo
Quam possem nuptae perdere more faces.

Codd. D. $V^1$.: amore. — Propono: prendere more.

## XIII.

In Minucii Felicis Oct. c. XXV, 3:

Quid inreligiosius, quid audacius, quid ipsa sceleris confidentia tutius?

Pro „tutius" (cod. Par.) legendum est „trucius".

## XIV.

In carmine epigraphico (Bücheler 472.):

Hic situs est iuvenis, primo qui flore iuventae
Impavidus Martis dum cau..s iret in hostis,
Invida Parcarum semper sic prona voluntas
Oppressit. Memorande iaces, Ianuari, sepulcro
Sic felix, quod humo te mater miseranda recondit.

Lapidem olim „cautos" exhibuisse veri simile est.

## XV.

De Sigeo urbe postquam annis circiter 600—593 Athenienses cum Mytilenaeis bellum gesserunt. Pisistrato tertium tyranno cum iisdem hostibus iterum bellaverunt.

## XVI.

Hegesistratus natus est antequam Pisistratus Athenis primum expulsus est. (cf. Arist. Resp. Ath. VII, 17).

## XVII.

Laches expeditioni, quam in Siciliam anno 427 Athenienses miserunt, praefectus, munere probe functus est atque immerito detestabilis segnitiae insimulatur. (cf. Leeuwenii v. cl. praefatio in Vespas Aristophaneas).

## XVIII.

Quod Athenienses post pugnam Chaeronensem sibi solis neque sociis pacem fecerint, iniuria miratur A. Schaefer (Demosthenes und seine Zeit III, p. 30; cf. Plut. Phoc. 16).

## XIX.

Brevi ante annum 208 lata est ea lex agraria, quam postea Livius inter leges Licinias Sextias numeratam esse refert (VI, 35, 5).

## XX.

Heraclitus doctrinam *τῆς ἐκπυρώσεως* recepit.

## XXI.

Pylonum, qui dicuntur, Aegyptiorum structura non cum vv. dd. Springer Michaelis ex aggerum, quibus fluctus continebantur, imitatione explicanda est.

# ERRATA.

p. 1. v. 17. legatur . . . . . . hic et illic.
p. 3. v. 11. „ . . . . . . aliis nationibus.
p. 11. v. 1. „ . . . . . . Ceus.
p. 14. v. 24. „ . . . . . . antiquissimis.
p. 15. v. 19. pro a legatur . . atque.
p. 17. v. 28. legatur . . . . altera.
p. 20. v. 6. pro ac legatur . . atque.
p. 20. n. 2. legatur . . . . . Bacchylidem.
p. 23. v. 16. „ . . . . . . non minus.
p. 29. v. 12. „ . . . . . . antequam.
p. 32. v. 4. „ . . . . . . Iulo.
p. 33. v. 17. „ . . . . . . periculosae.
p. 47. v. 13. „ . . . . . . tenuerunt; v. 19: transiisse.
p. 49. v. 3. „ . . . . . . nos deducet.
p. 51. v. 5. „ . . . . . . ὕβριν; v. 10: ὕβριος.
p. 76. v. 1. „ . . . . . . invenitur; v. 2: vidimus.
p. 79. n. 4. „ . . . . . . deus inter.

PIAE PARENTUM MEMORIAE.

*Studiorum cursu academico completo v. cl. Kuiper, promotori aestumatissimo, ceterisque viris clarissimis doctissimisque, quorum doctrina, consilio, benevolentia per septem hos annos frui mihi contigit, meliorem gratiam rependere non posse mihi videor, quam si singulorum beneficia Universitatis nomine complexus, quid Almae Matri Amstelodamensi debeam, me grato semper ac verecundo animo recordaturum esse profiteor.*

# CONSPECTUS OPERIS.

# PRAEFATIO.

In Graecorum vitam inquirentibus ubique obviam venit multifaria illa varietas, qua nos eorum natura tantopere delectat, simul autem universae populi cognitioni maximae molestiae struuntur. Cuicunque rei operam navamus, historiae, arti, religioni, in partes discedit materia, secundum gentes sedesque earum et indolem distinguendas. Ita fit, ut fere semper studiorum initia sumenda sint, non a populo graeco, sed a singulis gentibus, unde elementa repetantur, quibus postea de tota re opinionem constituere liceat. Atque quamvis in iis agnosci possit quaedam affinitas, tamen omnia secundum varias origines satis diversa esse, neminem praeterit.

Quod cum in ceteris doctrinis valet, alia ratione nec tamen minus in mythologiam quadrat. Alias enim partes, ut exemplo rem illustrem, Aristaeus agit in Arcadia, alias in insula Ceo; tamen et hic illic idem Aristaeus est. Itaque mythologiae quoque separata studia prodesse possunt, quippe quae inter se corrigant suppleantque ita ut collatis iis, quae ex singulis lucrati sumus disquisitionibus, herois vel dei cuiusdam imago nascatur

tota. Neque hoc de personis tantum sed aequo iure valet de toto cultu deque mythorum cyclis. Quantum e. g. ad Laconicam Arcadiamque cognoscendam profuerint viri docti Immerwahr [1]) et S. Wide [2]), vix, opinor, necesse est dicere. Sed etiam minorum regionum res sacrae haud sine utili eventu investigari solent. Nam licet is, qui parvae cuiusdam civitatis insulaeve mythos describendos sibi proponit, vix spem alat multa gravissimaque afferendi, quae nota nondum essent, tamen inde saepe proveniunt in lucem ea, quibus magnae quaestiones prorsus singulariter illustrentur.

Deli Naxique investigationes, ut alia nunc omittam, iam mythologiae sua tributa solverunt. „De Cei insulae rebus" Alexandri Pridik dissertatio [3]) inscribitur, qui licet historiam tantum investigare sibi proposuerit, tamen mythos gravissimos, qui quidem tunc noti erant, non neglexit. Iis autem, quae iam nota erant, fragmentum [4]), quod septimo abhinc anno Oxyrhynchi inventum nobilissimae olim de Acontii et Cydippes amore fabulae [5]) magnam partem nobis reddidit, tam multa adiecit, ut quid hodie de Cei mythis censeri oporteat, inquirere haud inutile videatur. Multarum rerum scientiam novam Callimacho debemus, sed hoc praesertim habet utile, quod, sicut nos

---

[1]) Kulte und Mythen Arkadiens. Lips. 1891.

[2]) Lakonische Kulte. Lips. 1893.

[3]) A. Pridik. De Cei insulae rebus. Diss Dorpati Livonorum. 1892.

[4]) Oxyrh. Pap. VII, II, 1011, pag. 15 sqq.

[5]) Iam diu ante ex Ovidii (Her. XX et XXI), Aristaeneti (Ep. I. X), Maximi Planudis versionibus paucisque fragmentis (de quibus videatur Buttmann Myth. II p. 122 sqq) carmen, quo celebrius, nisi forte Hecalen, nullum condidisse Callimachum iam antiquorum ferebat vulgata opinio, restituere conatus erat C. Dilthey, De Callimachi Cydippa. Lips. 1863. Cui quae colligenda videbantur, nunc magnam partem ipsius poetae verbis confirmantur.

in historia conscribenda facere solemus, poeta mythos secundum certas aetates disposuit ita ut nobis, qua ratione eorum investigatio habenda sit, ab eo discere liceat. Quod cum Callimachus idcirco fecisse videtur, quia historiam proferebat mythicam a Xenomede, antiquissimo scriptore, traditam, nobis eadem via progredientibus primum, quid de antiquissimis insulae fatis constare, praesertim, quae gentes et quo ordine eam incoluisse videantur, constituendum est. Mythi enim si revera ex intima populi cuiusdam mente nascuntur, fieri non potest, quin, etiamsi nationibus traditi atque ita multifarias mutationes passi sint, tamen originis memoriam servent. Atque revera nominum formis, vel universae mythorum naturae ea saepe propria sunt, quae e certi cuiusdam populi lingua et indole explicanda videntur, cum tamen illius commercia in ea regione, de cuius mythis agitur, multis saeculis antiquiora sint quam ipsa fabulosa traditio, quae ad nos pervenit. Mythorum igitur origo ut constitui possit, scire opus est, quidnam ei regioni, cum variis gentibus, quas illa indicia designare videntur, commune fuerit. Itaque quaevis mythologica investigatio initium sumat ab historia necesse est. Ea autem ex parte viri docti Pridik liber rebus iam non par est, nam recentissimis annis soli, nominum, morum, denique rerum omnium investigatio de necessitudine, quam inter Asiae Cretaeque et Graeciae incolas exstitisse iam antiquis scriptoribus haud ignotum erat, ea docuerunt, quae vetustissimorum temporum historiam nova luce illustrent. Eorum commerciorum maris Aegaei insulas non fuisse expertes et naturae fert ratio et satis multa demonstrant, quae Syri, Therae, Meli, pauca, quae in ipsa Ceo, archaeologiae auxilio inventa sunt [1]).

[1]) De his vid. c. II § 2.

In hac operis parte, postquam de Callimachi fragmento, rerum mythicarum praecipuo fonte, praemissa erunt quae necessaria videntur, huic quaestioni respondere conabor: quinam ab antiquissimus temporibus incoluerunt Ceum, quibuscum nationibus insulae eiusmodi fuit commercium, ut vestigia sua in ceis mythis reliquisse putandi sint? Deinde ad ipsos mythos transgressus de antiquissimis tantum agam, qui recentiores videntur, in posterum repositurus.

## CAPUT I.

### DE CALLIMACHI ACONTIO ET CYDIPPA, CEAE MYTHOLOGIAE FONTE.

---

Postquam de hoc novo fragmento callimacheo iam complures viri docti accuratas disquisitiones habuerunt[1]), non huius est libelli singula denuo aggredere. Attamen nonnulla etiamnunc observanda restant, quibus Cei mythi nova ratione illustrentur. Ipsam Acontii Cydippesque fabulam, quae Callimacho causae fuit, ut Cei res enarraret, quo maior nimirum gloria redundaret in gentem *τῶν Ἀκοντιαδῶν* [2]) breviter exponere liceat.

---

[1]) Hunt. Oxyrh. Pap. VII. A. Puech R. E. G. 1910 p. 255—275. Housman and Platt. Classical Quaterly Apr. 1910.

[2]) cf. vss 50—52 (p. 11). Iam Dilthey hoc ex carminis reliquiis iure collexerat cf. de Callimachi Cydippa p. 103. Ergo *αἴτιον* se composuisse nunc ipse poeta profitetur, quod olim e variis aliorum modo indiciis suspicatus erat O. Schneider, Callimachea II. p. 134, Fabulam in tertio aetiorum libro insertam fuisse apparet collatis Call. fr. 26 (Schol Soph. Ant. 80) *τάς γάρ προφάσεις προχάνας ἐκαλοῦν ὡς καὶ Καλλίμαχος ἐν τῷ γ' Αἰτίων „αγραδε τῷ* (ita Dilthey pro *αγραδετω*) *πάσῃσιν ἐπὶ προχάνῃσιν εφοίτα* et Aristaen, I 10: (dolore confectus Acontius), *ἐδεδίει τῷ πατρὶ φανῆναι καὶ εἰς ἀγρὸν ἐπὶ πάσῃ προφάσει τὸν πατέρα φεύγων ἐφοίτα.* cf. Dilthey l. l. 72 en 129. 6. — De Acontii Cydippesque fabula nuperrime egit K. Kuiper, R. E. G. 1912 p. 318—358.

Aliena quidem est, utpote recentior, ab huius libelli argumento ipsa narratio, attamen, quem locum mythi obtineant in fragmento callimacheo, vix recte perspici potest, nisi de ea pauca saltem disseruntur.

Callimachus ab infelicibus Cydippes nuptiis, ter morbo interruptis, initium facit. Qua de re cum pater Delphicum oraculum adiisset cognovissetque filiam iureiurando, quod pomo inscriptum inscia recitaverat, semet ipsam Acontio despondisse, a deo, ut illud matrimonium iungeret, monetur. Apollo enim:

*ἄργυρον οὐ μολίβῳ γὰρ Ἀκόντιον, ἀλλὰ φαεινῷ*
*ἤλεκτρον χρυσῷ φημί σε μιξέμεναι* [1])

respondet virginis patri, genus a Codro repetenti, cum vix minore nobilitate Acontius gloriaretur, quippe qui oriundus esset,

*. . . . Ἀρισταίου Ζηνὸς ἀφ' ἱερέων*
*Ἰκμίου, οἷσι μέμηλεν ἐπ' οὔρεος ἀμβώνεσσι*
*πρηΰνειν χαλεπὴν Μαῖραν ἀνερχομένην,*
*αἰτεῖσθαι τὸ δ' ἄημα παραὶ Διὸς ᾧ τε θαμινοὶ*
*πλήσσονται λινέαις ὄρτυγες ἐν νεφέλαις.* [2])

Tum demum ipsius dei iussu optatissimum matrimonium consecutus est Acontius, unde magnam in familiam, quae ab eo nomen ducebat, nec minus in totam insulam resplendisse gloriam testantur versus quos totos exscribere operae pretium est [3]):

---

[1]) Vss 30—31.

[2]) Versuum 32—35 textum excripsi, qualem mihi iure restituisse videtur Puech. l. l.

[3]) Vss 50—77.

Ἐκ δὲ γάμου κείνοιο μέγ' οὔνομα μέλλε νέεσθαι·
δὴ γὰρ ἔθ' ὑμέτερον φῦλον, Ἀκοντιάδαι,
πουλύ τι καὶ περίτιμον Ἰουλίδι ναιετάουσιν,
Κεῖε, τεὸν δ' ἡμεῖς ἵμερον ἐκλύομεν
τόνδε παρ' ἀρχαίου Ξενομήδεος, ὅς κοτε πᾶσαν
νῆσον ἐνὶ μνήμῃ κάτθετο μυθολόγῳ,
ἄρχμενος ὡς νύμφῃσιν ἐναίετο Κωρυκίῃσι,
τὰς ἀπὸ Παρνησσοῦ λῖς ἐδίωξε μέγας,
Ὑδροῦσσαν τῷ καί μιν ἐφήμισαν, ὥς τε Κιρω. .
. ο . . θυσ.το . . . ᾤκεεν ἐν Καρύαις.
ὥς τέ μιν ἐνάσσαντο, τέων Ἀλαλάξιος αἰεί
·Ζεὺς ἐπὶ σαλπίγγων ἱρὰ βοῇ δέχεται,
Κᾶρες ὁμοῦ Λελέγεσσι, μετ' οὔνομα δ' ἄλλο καλεῖσθαι
Φοίβου καὶ Μελίης ἶνις ἔθηκε Κέως·
ἐν δ' ὕβριν, θάνατόν τε κεραύνιον, ἐν δὲ γόητας
Τελχῖνας, μακάρων τ' οὐκ ἀλέγοντα θεῶν
ἠλεὰ Δημώνακτα γέρων ἐνεθήκατο δέλτοις
καὶ γρηῦν Μακελώ, μητέρα Δεξιθέης,
ας μούνας ὅτε νῆσον ἀνέτρεπον εἵνεκ' ἀλιτρῆς
ὕβριος ἀσκηθεῖς ἔλλιπον ἀθάνατοι·
τέσσαρας ὥς τε πόληας ὁ μὲν τείχισσε Μεγακλῆς
Κάρθαιαν. Χρυσοῦς δ' Εὔπυλος ἡμιθέης
εὔκρηνον πτολίεθρον Ἰουλίδος, αὐτὰρ Ἀκαι..
Ποιήσσαν Χαρίτων ἵδρυμ' εὐπλοκάμων,
ἄστυρον Ἄφραστος δὲ Κορήσιον, εἶπε δέ, Κεῖε,
ξυγκραθέντ' αυταῖς ὀξὺν ἔρωτα σέθεν
πρέσβυς ἐτητυμίης μεμελημένος, ἔνθεν ὁ παιδός
μῦθος ἐς ἡμετέρην ἔδραμε Καλλιόπην.

Callimachus in his versibus, qui documentis abundant, ad Cei mythos non solum illustrandos sed etiam ordine certo disponendos utilissimis, in gentis illius honorem insulae historiam repetentem se fingit a primis initiis, nympharum aetate. Qua in re Xenomedis cuiusdam commentariis doctrinae fonte usum se profitetur. Itaque priusquam de rebus iudicari possit, quaerere oportet, quisnam fuerit ille. Callimachus non multa nos edocet nec tamen inutilia. *Ἀρχαῖος* audit Xenomedes, itaque longo temporis spatio a Callichmacho distabat. Deinde opus quoddam de Ceo composuisse fertur mythologicum sive historicum, nam inter utrumque genus, cum de temporibus primis agerent, parum distinxisse rerum scriptores antiquos nota res est, quam Dionysius quoque Halicarnassensis affirmat in ea dissertatione, quae de Thucydide inscribitur c. V: *ὀλίγῳ δὲ πρεσβύτεροι τῶν Πελοποννησιακῶν καὶ μέχρι τῆς Θουκυδίδου παρεκτείναντες ἡλικίας Ἑλλάνικός τε ὁ Λέσβιος καὶ Δαμάστης ὁ Σιγειεὺς καὶ Ξενομήδης ὁ Χῖος καὶ Ξάνθος ὁ Λυδὸς καὶ ἄλλοι συχνοί· οὗτοι τε προαιρέσει τε ὁμοίᾳ ἐχρήσαντο περὶ τὴν ἐκλογὴν τῶν ὑποθέσεων καὶ δυνάμεις οὐ πολύ τι διαφερούσας ἔσχον ἀλλήλων, οἱ μὲν τὰς Ἑλληνικὰς ἀναγράφοντες ἱστορίας οἱ δὲ τὰς βαρβαρικάς.* Illi non solum barbara diligenter dividebant a graecis, sed *ἵνα καὶ τὸν αὐτὸν φυλάττοντες σκοπὸν ὅσαι διεσώζοντο παρὰ τοῖς ἐπιχωρίοις μνῆμαι κατὰ ἔθνη τε καὶ κατὰ πόλεις εἴτ' ἐν ἱεροῖς εἴτ' ἐν βεβήλοις ἀποκείμεναι γραφαί* eas publici iuris fecerunt, nulla addentes, quae comperta non haberent neque quidquam de traditione delentes. Iis autem, quas prodiderunt, historiis *καὶ μῦθοί τινες ἐνῆσαν ἀπὸ τοῦ πολλοῦ πεπιστευμένοι χρόνου καὶ θεατρικαί τινες περιπέτειαι πολὺ τὸ ἠλίθιον ἔχειν τοῖς νῦν δοκοῦσαι.* Quo in

gravissimo documento Xenomedes est „unus multorum", nec quae de cunctis dicuntur ab eo abiudicare aequum est. Quod iam de Xantho Lydo, de Charone Lampsaceno, deque aliis multis notum erat, id nunc maiore iure de Xenomede valet, cum ad Dionysii testimonium Callimachi auctoritas accedat. Logographi illi de patriis suis praesertim scripserunt, ab universa historia eorum studia aliena erant; neque hoc mirum est, nam quia ei modo rei operam navabant, ut vetustissimae traditiones, quibus quod ignotae in templorum scriniis latebant interitus imminebat, divulgatae servarentur, singulis suae praesertim patriae fabulas in perpetuum firmare intererat. Ergo si Xenomedis opus de Ceo agebat, neque aliter interpretari potest Callimachi versus 56, Ceum fuisse eum admodum verisimile est. Magni momenti non est, quod *Χῖος* audit in Dionysii codicibus, nam facile in scriptoris satis ignoti patria constituenda errari potuit, cum praesertim tanta inter utramque vocem esset similitudo. Xenomedis non magnam fuisse famam, quamquam de eius fide optimum testimonium Dionysius praebet, cetera documenta produnt, nomen pleraque corruptum exhibentia.

Enomidem quendam de Telchinibus scripsisse Etymologicum Magnum refert [1]), quo loco nunc Dindorfium [2]) secutis Xenomedis nomen restituere nobis licet. *Τελχινιακὴν ἱστορίαν* quandam Athenaeus [3]) commemorat incerti auctoris nec tamen veri dissimile est verba neglegenter iactata *εἴτ' Ἐπιμενίδης ἦν ὁ Κρὴς ἢ Τελεκλείδης εἴτ' ἄλλος τις* veri nominis memoriam

1) S. v. *Θέλγει·* 445[5] *Ἐνομίδης δὲ ὁ τὰ θεῖα γράψας καὶ τοὺς Τελχῖνας ἐτυμολογήσας εἶπεν, ὅτι θελγῖνες ἦσαν.* Eadem habet in breviora contracta Etym. Gud. s. v. *θέλγειν* p. 257. cf. F. H. G. II, 43.

2) Add. ad Lobeck Aglaoph. II p. 1183 vid. p. 1358.

3) Athen, VII, 18, 282. cf. F. H. G. II, 43 et v. Gelder Rhodiër p. 47.

servare atque tum non minus quam in Etymologico illo Xenomedi omnia favent. Hac in re praesertim animadvertere oportet a Callimacho in Telchinum fatis enarrandis denuo Xenomedis auctoritatem appellari.

Praeterea scholia duo memoranda sunt, quorum alterum [1]) Bellerophontem Amisodari, regis Cariae, filiam duxisse uxorem e Xenomedis auctoritate refert, alterum Artemidis cognomen *Ταυροπόλον* etiam Athenae attribuisse eundem scriptorem tradit [2]).

Haec omnia quin ad eundem Xenomedem atque etiam ad idem opus pertineant, equidem dubitare nullo modo possum. Aetatis indicium e Callimachi opere deductum optime quadrat in Xenomedem, quem apud Dionysium Halicarnassensem cognovimus. Cetera testimonia aetatem non indicant, sed nihil ab eiusdem temporis scriptore alienum exhibent. Dubia sane movere possunt, quae de materia accipimus. Quid enim ceae historiae scriptori cum Athena Tauropolo, quid cum Cariae rege? Sed iam paratum est responsum. Telchinum fabulae ceae, quam magnum locum in Xenomedis libro obtinuisse inde colligere licet, quod eius historia apud Athenaeum — si quidem iure eidem auctori attribuenda visa est — *Τελχινιακή* vocatur facile quaedam de aliarum reginionum Telchinibus, de cognomine Telchinio deabus nonnullis indito subiungere scriptor potuit neque cum Athenam Telchiniam referret longe afuit, opinor, quin deae alias quoque invocationes in transitu adderet. Haud magis alterum explicare difficile

---

[1]) Schol. Townl. Il. XIV 328 *Ἀμισωδάρου· οὗ τὴν θυγατέρα ἔγημε Βελλεροφόντης ὡς Ξενομήδης.*

De Amisodaro cf. Wagner in Pauly-Wissowa Realencycl. I. 1838.

[2]) Schol Arist. Lys. 447 *τὴν Ταυροπόλον· Ταυροπόλον τὴν Ἄρτεμιν ἐκάλουν . . . ἐστιν καὶ ὅτε καὶ τὴν Ἀθηνᾶν οὕτω καλοῦσιν ὡς Ξενομήδης ἱστορεῖ.*

est. Nam Ceum cum Caria iis vinculis coniuncta est (id quod proximum caput docebit), quae insulae historiographum de vetustissimis temporibus agentem praeterire non decebat.

De Xenomede quae disputata sunt, huc redire mihi videntur: non pro certo quidem sed magna cum veri similitudine scriptorem, cuius auctoritatem in Cei historia fabulosa enarranda Callimachus secutum se profitetur, inter logographos numerandus est, bello peleponnesiaco haud multo anteriores. Superfuisse cum ceteris logographis Xenomedem Dionysii Halicarnassensis aetate probabile est, eundem praesto fuisse Callimacho ipsius verba produnt, sed paucissima fragmenta aetatem tulerunt, atque adeo auctoris nomen iam ante ultima antiqui aevi tempora tantum non in oblivionem abiit.

Postquam de Cei historiographo, quem novimus, antiquissimo iam satis dictum est, nunc quaenam ex eius commentario Callimachus didicerit videamus.

Xenomedes e temporum ratione dispositas fingitur Cei res referre, quarum mihi certae quaedam aetates distingui videntur. Versus enim 57 historiae initium facit a nymphis Coryciis, quas *ἀπὸ Παρνησσοῦ λῖς ἐδίωξε μέγας*, insulae, cui tum nomen esset Hydrussae, incolis primis. Deinde, iam statim post prima initia in omnes difficultates lectorem involvit textus mutila condicio. Versus enim 58—59:

*. . . . . ὡς τε κιρω. . . .*

*. . . ο . . θυσ . το . . . ῳ κεν ἐν καρύαις*

quid sibi velint, nemo hucusque explicare potuit. Sed operae pretium est viri docti Hunt notam exscribere totam [1]: „Who it was who lived at Caryae and what

[1]) Oxyrh. Pap. VII p. 66. ad vss 58—59.

this has to do with Cean tradition remains a problem. Besides the well-known Laconian Caryae we hear of places so called only in Arcadia and Lycia, and there is no evident link between any of these and Ceos. W-M"[1]) suggests that the name at the end of l. 58 may be meant for *Κάρυστος*, which Callimachus might well derive from *Καρύαι*. Carystus, son of Chiron, was the reputed founder of Carystus in Euboea, and it is noticeable, that in the Heraclides excerpt cited . . that town is mentioned, The suggestion is thus so far plausible, but *Κάρυστος* is not to be read and, in view of the mutilated condition of the passage and of the absence of confirmatory evidence, emendation is too speculative. The *ω* following *ρ* is very doubtful, but there seems to be no alternative tho the *ι* preceding it. Murray proposes *Κιρώδης* = *Κιροάδας*, and this would suit the papyrus well enough; but no *Κιροάδας* is known except the king of the Odrysae, conquered by Philip V (Anth. Plan. I. 5. 24 = Brunck III. 182). The remains of the first half of the pentameter would suffice to verify a conjecture, but hardly to provide a clue of themselves".

Vix sperare possumus fore, ut loco mox medela praebeatur. Attamen pauca sunt, quae neglegere non oportet. Eisdem verbis — paene dixerim eadem formula[2]) — incipit haec narrationis particula atque ea, quae de Nympharum deque Carum aetatibus agit. Unde facile suspiceris sub versus 59 reliquiis secundam, quam Xenomedis novit, Ceae historiae aetatem latere, qua inter Caryarum Ceique incolas

---

[1]) His litteris v. cl. von Wilamowitz-Moellendorf designari vix dicere opus est.

[2]) cf. vs 57 *ἀρχόμενος ὡς νύμφῃσιν ἐναίετο....* et vs 60 *ὥς τέ μιν ἐναιετάοντο κτλ* cum 58 *ὥς τε κιρω....*

vincula quaedam ignota intercederent. Binas fuisse Caryas monet quoque Hunt in annotatione sua.

Quid autem vetat, quominus Cei quoque urbs exstiterit eiusdem nominis, cuius incola aliquis necessitudinem quandam haberet cum eo, quem prioris versus reliquiae celant? Hunc si Chironem dicere liceret (cui rei breve *ῐ* obstaculo est), optime res ita esset expedita, ut nepos eius Aristaeus, inter Coryciarum nympharum aetatem atque Carum Lelegumque historiam tamquam suo loco insertus esset. De quo cum iam vss. 33—34 copiosius egisset, nunc brevi indicio, quod Aristaei ne nomen quidem desideraret, Callimachus rem absolvere potuisset.

Aristaei nomen ad coniecturarum numerum unam addit: quid si litterae *κιρω* matris *Κυρήνης* nomen celarent? Gravis non esset corruptela; quam facile enim *υ* abire potuit in *ι* atque *ω* ambiguum esse supposito puncto Hunt indicavit [1]). Cyrenes nomen loco optime convenit nec nimus Chiro, sed suspicari ea omnia licet, demonstrari nihil potest. Quod de secunda aetate, hic exposita, diximus, id solum satis stabilitum mihi videtur.

Ergo tertia iam est ea aetas, qua Cares cum Lelegibus Ceum tenuerunt; quartamque *Κέως* instauravit, Melies [2]) aut Rhodoessae [3]) Phoebique filius, cum *ἐκ Ναυπάκτου διαβὰς* insulam *ᾤκισε καὶ ἀπ᾽ αυτοῦ* (*ἀφ᾽ αὑτοῦ?*) *ταύτην ὠνόμασεν* [4]).

Singulis insulae fatis haec tamquam universus historiae conspectus praemittuntur. Quibuscum siquis comparat, quae a rerum scriptoribus de Cycladum incolis traduntur,

---

1) l. l. 26.

2) Call. Ac. et Cyd. vs. 63 cf supra p. 7.

3) Etym. m. 507. 54.
Steph. Byz. v. *Κῶς*.
cf. Stoll in Roscheri lex. Myth. II. 1. 1089. v. Keos.

4) Heracl. F. H. G. II, 214, 9.

satis magna discrimina apparent. Nam Cares atque Cretes Herodotus [1], Thucydides [2]), Bacchylides [3]), Diodorus [4]) — de Phoenicibus quoque pauca referentes [5]) — ante Graecos Cyclades tenuisse perhibent iisque assentietur dissertatio nostra. Callimachus vero, quae primae Ceum incoluisse dicuntur, nymphas Corycias Parnasso oriundas fecit. Graecae igitur ei videntur atque inverso rerum factarum ordine, earum in locum Cares successisse censet Lelegesque. Neque ulla extant in carmine nostro vestigia, quae ceterorum barbarae nationis incolarum, Cretum, eorumque, ad quorum aetatem pertinet sepulcrum „cycladicum'' a viro docto Graindor repertum [6]), doctum poetam notitiam habuisse prodant.

Qui factum est, ut tantopere a ceterorum scriptorum sententiis divergat, quas tamen notas non habuisse Callimachum vix credemus? Mittamus Phoenices, quippe quorum res admodum ambiguae sint; sed quae testimonia Cretes fuisse Cei dominos probant, ea dubiis locum relinquunt nullum; ideo, quod ne verbo quidem eorum res a Callimacho attinguntur, id singularem explicationem postulare mihi videtur. Sane, ex antiquissimus temporibus praecipua tantum eaque nonnisi obiter rettulit poeta. Attamen non eae erant Cretum partes, quas vel ita praeteriret, qui verum indagare ullius pretii aestimaret. Callimachum in quavis sacrarum rerum investigatione a barbarorum iuribus abhorruisse originesque, quantum poterat, ex ipsa Graecia repetiisse constat [7]).

---

1) I. 171; VIII. 46. De his uberius agetur c. II § 4.
2) I, 4 et 8. VII. 57. 4.
3) Bacch. (ed. Blass) c. I ἐπ.ε', στρ.ς', ἀντ. ς'.
4) V, 84. p. 76.
5) Thuc. I. 4.
6) Vid. c. II. § 2.
7) vid. K. Kuiper. Studia Callimachea II. pag. 32—33.

Praesertim, qui in alia eiusmodi re iudicium suum inchoavit a verbis: *Κρῆτες ἀεὶ ψεῦσται* [1]), eum libenter neglexisse traditionem, quae illis magnas partes attribueret, consentaneum est. Attamen fieri non potuit, ut fidelis placiti illius *ἀμάρτυρον οὐδὲν ἀείδω* sectator [2]) in Cei rebus omnino nullum locum concederet Cretibus, nisi seu firmis testimoniis niteretur, seu quaecumque ad illam gentem pertinebant in ipsa insula iam aliquamdiu oblivioni data essent; nam poetam non tantum Xenomedis verba referre, sed ceïs quoque traditionibus aures praebuisse nonnulli versus testantur.

Etenim postquam usque ad v. 54 suis verbis suoque consilio narrantem se finxit poeta, exinde repentina existit mutatio: sequentia ita proferuntur quasi commentarios Xenomedis, ut non verbatim, tamen accurate sequantur.

Aristaeum fortasse vss. 58—59 respexisse suspicati sumus, sed si ita est, ratione diversa idem factum videtur a versibus quibus Cydippes patri nuper responderat Apollo [3]):

---

1) Call. H. I. vss 8—10 (cf. K. Kuiper. Studia Callimachea I. p. 8.), quo loco Iovem invocans hoc acerbi odii testimonium poeta exhibet: *Κρῆτες ἀεὶ ψεῦσται· καὶ γὰρ τάφον, ὦ ἄνα, σεῖο Κρῆτες ἐτεκτήναντο· σὺ δ' οὐ θάνες, ἐσσὶ γὰρ αἰεί.* Quod exiguae reverentiae duxisse Callimachum summaeque inscitiae totus docet loci color. Eidem Cretum odio in patriae Cyrenes historia enarranda Callimachus indulsit, cum Battiadarum regum originem, vel invita traditione populari, quod documentorum genus plurimi ceteroquin faciebat, Cretae denegatam repeteret a Thera Minyisque, qui ibi consederant. Call. H. II. 72 sqq. K. Kuiper. l.l. II, 37—41.

2) Call. fr. 442. cf O. Schneider. Callimachea II, p. 611 et K. Kuiper. l.l. II, p. 159.

3) v. 32—37.

*Κοδρείδης συ γ' ἄνωθεν ὁ πενθερός, αυταρ ὁ Κειος*
*γαμβρος Ἀρισταίου Ζηνὸς αφ' ἱέρεων*
*Ἰκμίου, οισι μέμηλεν ἐπ οὔρεος αμβώνεσσιν*
*πρηΰνειν χαλεπην Μαιραν ανὲρχομένην*
*αἰτεῖσθαι τὸ δ' ἄημα παραὶ Διὸς ᾧ τε θαμινοί*
*πλήσσονται λινέαις ὀρτυγες ἐν νεφέλαις.*

Hic enim dei partes agit Aristaeus, cum Iove Icmaeo consociatus, versuum vero 58—59 reliquiae nullius rei memoriam suscitant, quae vitae hominum cotidianae fines excedat. Sed quam lubricosa via progrediamur in his rebus perpendendis utriusque loci mutila condicio demonstrat. Versuum enim 32—33 lectio nuper citata ea est, quae recte a viro docto Puech [1]) restituta mihi videtur, sed ipsa papyrus haec exhibet [2]):

*Κοδρείδης σύ γ' ἄνωθεν ὁ πένθερος, αυταρ ὁ Κειος*
*γαμβρος Ἀρισταίου . . τιος αμφιερων.*

Lacunam von Wilamowitz-Moellendorf [3]) explevit voce *ληιτος*, quae mutatio licet lenis sit, duo obstant quominus viro docto Hunt [4]) assentiar, ita optime loci sensum redditum rato. Quorsum, si Wilamowitzium sequimur, referendus est pluralis *οισι*? Ad sacra illa, quae cura sua circumdare Acontius dicitur? At illis profecto non, *μέμηλεν ἐπ' οὔρεος αμβωνεσσι πρηΰνειν χαλεπὴν Μαιραν ἀνερχομένην!* [5])

Iovis autem Icmaei sacerdotumque ceorum, quibus ea sacra officio erant, Apollonius [6]) mentionen fecit:

---

1) R. E. G. 1910. p. 265 a. o. 33 cf.
2) Oxyrh. Pap. VII. p. 26 v. 32—33.
3) Ibidem p. 63 ad vss 33—34.
4) Ibidem p. 63 ad vss 33—34.
5) Vss 34—35.
6) Ap. Rh. II 516 sqq.

*ἦμος δ'οὐρανόθεν Μινωίδας ἔφλεγε νήσους*
*Σείριος, οὐδ' ἐπὶ δηρὸν ἔην ἄκος ἐνναέτῃσιν*
*τῆμος τόν γ' ἐκάλεσσαν ἐφημοσύναις Ἑκάτοιο*
*λοιμοῦ ἀλεξητῆρα . λίπεν δ' ὅ γε πατρὸς ἐφετμῇ*
*Φθίην ἐν δὲ Κέῳ κατενάσσατο, λαὸν ἀγείρας*
*Παρράσιον, τοί πέρ τε Λυκάονός εἰσι γενέθλης*
*καὶ βωμὸν ποίησε μέγαν Διὸς Ἰκμαίοιο,*
*ἱερά τ' εὖ ἔρρεξεν ἐν οὔρεσιν ἀστέρι κείνῳ,*
*Σειρίῳ, αὐτῷ τε Κρονίδῃ Διί . τοῖο δ' ἕκητι*
*γαῖαν ἐπιψύχουσιν ἐτησίαι ἐκ Διὸς αὖραι*
*ἤματα τεσσαράκοντα· Κέῳ δ' ἔτι νῦν ἱερῆες*
*ἀντολέων προπάροιθε Κυνὸς ῥέζουσι θυηλάς.*

Haec si comparamus, Callimachus eosdem sacerdotes respexisse manifestum est, sacra loco non convenire iam vidimus. Praeterea laudibus efferendus erat Acontius ita, ut simul nobilitas eius explicaretur; cui duplici consilio nil melius inserviebat, opinor, quam summi Iovis clarissimum numen. Quod etsi in papyro non legitur, facile restitui potest. Traduntur enim v. 33 *Ἀρισταίου . . τιος ἀμφ' ἱερων*, in quibus litterae *τι* et *μ* dubiae sunt [1]). Vacuum spatium optime expletur voce *Ζηνός* neque ceterae mutationi, quam e virorum doctorum Housman et Platt [2]) commentatione recepit Puech, *ἀφ' ἱερέων*, quicquam obstare mihi videtur.

Accedit, quod in titulo duplici „*Ἀρισταῖος Ἴκμιος*" coniunctio nominum prorsus insolita est. Novimus quidem Aristaeum propter beneficia [3]) in Iovis personam esse adscitum ita ut Zeus Aristaios [4]) existeret, cum ab altere

---

1) cf. Hunt. a. l.

2) Classical Quarterley 1910 (Apr.)

3) Apoll. Rh. II 516 sqq. cf. schol. a. v. 498.

4) Scholl. Ap. Rh. II 498 *τοῦ γὰρ κατηστερισμένου Κυνὸς φλέγοντος τὰς Κυκλάδας νήσους καὶ πολὺν χρόνον αὐχμοῦ τε καὶ ἀπορίας οὔσης,*

parte Zeus Ikmaios antiqua veneratione frueretur. Sed eo processisse religionem, ut ipso Iove evanido cognomen in Aristaeum transiret, cultumque celebrarent Cei homines Aristaei Icmaei, id nullis documentis corroboratur. Ergo Puechio adstipulandum censeo, loci sensum hac versione optime reddenti: „Toi, le beau-père, tu es de la race des Codrides et de son côte le Ceen qui deviendra ton gendre, appartient à la famille des prêtres de Zeus Aristaios, que l'on appelle aussi Icmios; ce sont ces prêtres, qui ont mission, sur les cimes de la

---

οἱ τὴν Κέω κατοικοῦντες ἐκ θεοπροπίου ἐπεκαλέσαν Ἀρισταῖον τὸν Ἀπόλλωνος καὶ Κυρήνης ἐκ Φθίας. ὁ δὲ παραλαβών τινας ἐξ Ἀρκαδίας ἦλθεν εἰς τὴν Κέω καὶ Διὸς ἱερὸν ἱδρύσατο Ἰκμαίου ἕνεκα τοῦ τοὺς ὄμβρους γίνεσθαι καὶ τὸν Κύνα ἐξιλάσατο καὶ ἐνομοθέτησε κατ' ἐνιαυτὸν τοῖς Κείοις μεθ' ὅπλων ἐπιτηρεῖν τὴν ἐπιτολὴν τοῦ Κυνὸς, καὶ θύειν αὐτῷ (αὑτῷ?).......... καὶ κατακαλεσάμενος τοὺς ἐτησίας. Ζεὺς Ἀρισταῖος ἐκλήθη καὶ Ἀπόλλων Ἀγρεὺς καὶ Νόμιος. Si iure pro αὐτῷ Keilius suspicatus est αὑτῷ — et magnae sunt in lenissima correctione illecebrae — optime cum ceteris extrema verba conveniant totumque scholion opinionem, quae supra data est, nec non Probi testimonium etiam magis corroborat.

Probus Verg. G. I. 14: Insula est Cea in Aegaeo mari, in qua sunt urbes quattuor, Iulis, Carthaea, Poiessa, Coressos. Ibi existimatur pestilentia fuisse pecorum et armentorum propter interitum Actaeonis. Aristaeus monstrante Apolline patre profectus est in insulam Ceam et ibi sacrificio facto aram Iovi Icmaeo constituit, qui placatis flatibus et aestu, qui nocebant pecora et armenta, liberavit ea. Ipse autem post excessum vitae imperante oraculo Apollinis ab inhabitantibus eam insulam relatus in numerum Deorum appellatus est Nomius et Aeguros, quod et agresti studio et cura pecorum armentorumque non mediocriter profuerat. Traditur haec historia in corpore Argonautarum a Varrone Atacino. — cf. W. Vollgraff, Nikander und Ovid I. p. 42 sqq. Schanz. Rom. Litt. Gesch. II³ I. p. 91 sqq.

Varronem non solum Apollonii Argonauticis, sed etiam auctore, quem sequitur scholastam usum esse verborum intima similitudo evincit.

De sacris Ceis cf. praeterea Cic. de div. I 57, de Aristaei divinis honoribus cf. Diod. IV. 81.

montagne d'adoucir, quand elle se lève, la funeste Canicule, et de demander à Zeus la brise qui fait choir en masse les cailles dans les filets de lin des chasseurs."

Textum coniecturae ope restitutum semper paulo minore cum confidentia adhibebimus, ubi de rebus, quae ipsis iis verbis exponuntur, iudicium ferendum est. Tamen hoc tuto colligere licet Aristaeum a Callimacho commemorari ita cum Iove Icmaeo coniunctum, ut e duobus deus unus evaserit. Contra apud Apollonium ceterosque, qui de hac re agunt, scriptores herois vel etiam communis hominis [1]) vice fungitur Aristaeus beneficia a summo deo impetrantis, pro quibus sacra Cea sollemnia instituisse fertur. Ut hanc mythi versionem aversaretur, qua Iovis Aristaei cultum recentiorem dicere vix opus est, Callimachus nonnisi validis causis inductus esse potest, e quibus tamen nullam testimonia produnt. Sed cum locorum traditiones in rebus antiquis investigandis a Callimacho doctorum hominum commentationibus praelata recordamur, facile intellegimus cultum Iovis Icmaei ritusque, quibuscum Aristaei nomen coniunctum homines venerabantur, poetam induxisse, ut res ita componeret, quales versibus eius exponuntur. Quod si ita est, simul didicimus, quo tempore in Aristaei fabulam inquirebat ille, ea, quae Apollonius, Diodorus, Probus, de Aristaeo narrant inter Ceos homines iam non proprie vixisse, sed superfuisse modo numen ex antiquissimis illis historiis natum. Nam nisi ita se res haberet, qui fieri poterat, ut Callimachus, qua erat diligentia in rebus antiquis perscrutandis, Telchinum, Demonactis, Dexitheae mentione facta, Aristaei honores divinos commemoraret quidem

[1]) Nullas nisi mortalis hominis partes Aristaeus agit in Call. H. V vs. 108.

sed omissa origine, quae tamen in poemate aetiologico praetereunda non erat. Apparet quoque Apollonium ceterosque, qui de Aristaeo Cei patrono agunt, scriptores, contrariam rationem secutos narrationibus eruditorum, quamvis a populo Ceo neglectis, magis quam huius ipsius, quae vivida florebant, institutis ac opinionibus, confidendum putavisse.

Nymphas, homines deosve, qui versibus 58—59 celantur potius quam indicantur, Leleges Caresque, Ceum denique heroa, hoc eodem ordine Ceum incoluisse a Callimacho didicimus [1]. Qua in serie cum Cretibus iniuria locus denegatus est, lacuna feliciter expletur carmine Bacchylideo, cuius, qui huc faciunt, versus exscribere haud inutile videtur [2]:

— — — — —

*συ]ν τριτατᾳ με[ . . . . .*  
*αμέρᾳ Μίνως αρ[ηιο]ς*  
*ηλυθεν αιολοπρυμνοις*  
*ναυσὶ πεντήκοντα συν Κρητῶν ομίλῳ.*

*Διος Ευκλείου δε (ϝ)έκα-*  
*τι βαθυζωνον κόραν*  
*Δεξιθέαν δαμασεν·*  
*καί ϝοι λιπεν ημισυ λαῶν,*  
*ἄνδρας αρηιφιλους,*  
*τοισι πολυκρημνον χθόνα*  
*νείμας αποπλέων ωχετ ἐς*

---

[1] cf. p. 15.

[2] Bacch. c. I ἐπ. ε΄. ἀντ. ϛ΄. De mythis apud Bacchylidem obviis egit L. H. Galiart. Beiträge zur Mythologie bei Bakchylides Diss. Freiburg (Helv.) 1910. De toto hoc carmine cf. Jebb in Mélanges H. Weil p. 225 sqq.

*Κνωσὸν ἱμερτὰν πόλιν*
*βασιλεὺς Εὐρώπιος· ἐν*
*δεκάτῳ δ' Εὐξάντιον*
*μηνὶ τέ]κ' εὐπλόκ[αμος νύμ-*
*φα φερ]εκυδέϊ νάσῳ*
— ⏑ ⏑ — *πρύτα[νιν*

— — — — —

Quae cum in Argei Cei honorem cantata sint, ad Cei quoque historiam mythicam pertinere consentaneum est, etsi nomen insulae nusquam legitur. Itaque *Μίνως ἀρῆος* Ceum petiisse fertur quinquaginta cum navibus *σὺν Κρητῶν ὁμίλῳ;* ea magnae expeditionis bellicae memoriam suscitant. Hoc sane, quamquam in carminibus mythologicis historica nimis premere religiosum habeo, constituere licet. Etiam alii loci ex hac fabula pauca servarunt, sed mutila plerumque et corrupta. Herodianum in libro, qui inscribebatur *περὶ παθῶν*, de Euxantio nonnulla protulisse ex Etymologico Magno perspicuum est [1]). Dignior etiam, qui comparetur, scholiasta ovidianus [2]), qui, postquam de Telchinum scelere dixit, sic de Macelo pergit: „sed Macelo cum viro propter viri nequitiam periit, ad alias vero servatas quum venisset Minos cum Desitheone concubuit, ex qua creavit Eusanthium, unde Eusaniae fuerunt." Nominum in locum a Schneidero [3]) Dexitheam et Euxantium iure restituta esse nunc Callimachus docet.

Scholion illud Dexitheam, inter „alias" mulieres numeratam, secernit a Macelo, quacum in Callimachi

---

[1]) Etym. M. 394. *Εὐξαντίδος] γενεῆς Εὐξαντίδος· τὸ πατρωνυμικὸν Εὐξαντιαδης, τὸ θηλυκὸν Εὐξαντιας, Εὐξαντιάδος, αρον τὸ α καὶ γίνεται Εὐξαντίς, Εὐξαντίδος.*

[2]) Schol. Ov. Ib. 467.

[3]) O. Schneider. Nicandrea pag. 133.

narratione non solum sanguinis vinculo sed etiam communi sorte coniungitur. Miros praeterea nos habere potest, quod nulla ipsius culpa commemorata Macelo a scholiasta propter solam mariti nequitiam cum eo periisse fertur, nominatim a Callimacho Telchinum universo interitu exempta.

Quae cum considero, eum, qui scholion illud composuit, res minus feliciter expedisse suspicor, ita ut duas narrationes contaminaret e quibus altera Macelum periise, altera cum filia servatam referret, Callimachi summa auctoritate atque ita antiquiore investigatione et accurata nisa. Haec igitur potius quam illa pro fabulae forma prima habenda mihi videtur.

Quae de Euxantio, milesiae gentis eponymo, dicuntur, a Schneidero ad Callimachum relata sunt ex auctoritate Dionysii Thracis [1], qui a solita forma *Εὐξαντιας* deflectere poetam illum refert, „*Εὐξαντίς*" adhibentem. Verum hac voce Bacchylides Ceum designavit [2] unde facile suspiceris Dionysium errore inductum esse, cum Callimachum commemoraret. Verum certi nihil in hac re constituendum est prae testimoniorum inopia. Sin vero iure ad Callimachum referuntur ea, de quibus nuper dictum est, in carminis nostri parte deperdita locum suum habuisse veri simile est; sed mirum fecisset poeta, hic, ubi eponymi matris pietatem, discrimine inter eam

---

[1] Schol. Dion. Thrac. 850. 25: *τὸ δὲ Εὐξαντιας ἀπὸ τοῦ Εὐξάντιος, τὸ δὲ Εὐξαντίδος παρὰ Καλλιμάχῳ φησιν ἔχει τὸ α* Bekker Anecd. graeca II. 850. 25 cf. Cramer Anecd. Oxon. IV p. 326. Schneider Nicandrea 133.

[2] Bakch. II. 5—10 *χαλκὸν δ' ἀνέμνασεν, ὅσσ' ἐν κλεεννᾷ*
*αὐχένι Ἰσθμοῦ ζαθέαν*
*λιπόντες Εὐξαντίδα νᾶ-*
*σον ἐπεδείξαμεν ἑβδομή-*
*κοντα σὺν στεφάνοισιν.*

Telchinesque facto extollit, nepotes nullo modo respiciens. Praeterea Ibidis scholion tantopere ad Bacchylidis hymnum se applicat, ut ex eo potius natum illud suspicer. Quod si ita est, alter quoque locus, quin eidem debeatur origini, dubitari, ni fallor, vix poterit, atque idem tum demonstrat iam quo tempore scholiasta ille scribebat Bacchylideum hymnum in eam oblivionem abiisse, ut Callimacho ascribi possent, quae ex illo desumpta vaga hic illic restabant.

Callimacho Bacchylidique nondum valedicere licet. Prius enim, quoniam in eorum carminibus rerum factarum memoria inventa est, quid valeat uterque ad historiam constituendam, quaerere necesse est. Quod modo in universum cognoscere nunc nostra interest, singulis enim rebus sua cuique paragraphus destinata erit.

Supra iam observatum est in transitu, historiam nimis non esse premendam in rebus mythicis. Sane ea sententia, quam in universum protulit Usener, non nimus in Graecos quam in alias gentes quadrat: Es sind die kindheitsstufen der völker auf denen sich volkstümlicher glaube bildet und zu mythischen formen gestaltet; alles was in dieser zeit das gemüt des volkes erregt, wie entdeckung des feuers und anfänge des ackerbaus, das alles lebt als niederschlag im mythenschatze des volkes fort; denn jedes neue und unbekannte tritt zunächst als ein göttliches wesen an jene menschen heran". Graecorum naturae novimus puerile illud atque versatile quadamtenus semper proprium fuisse, quo fieret, ut facile ac magna cum voluptate res gestas proavorum factaque, si ita dicere licet, politica, quorum fama sancta colebatur a nepotibus, narrando vel ita exornarent, ut veri vix debile vestigium agnosceretur. Praeterea nuclei illius natura admodum varia esse potest. Saepe enim res in vita cotidiana proximae, saepe

remotissimae causae fertile ingenium excitantes, ut magna cogitationum copia nascatur efficiunt. Itaque cavendum est a ratione eorum, qui omnia mythica secundum systematis, quod dicere solemus, certas leges explicanda censent. Nec tamen audiendi sunt homines statim quaecumque documentis probari nequeunt ut ficta vel etiam mendacia reicientes.

Sed a poetis nostris in materiam, quam sibi tractandam plerumque sumebant, aberravimus. Cum de mythicis narrationibus ea censere oportet, quae nuper exposita sunt, quid de auctorum fide iudicabimus talia proferentium, qualia apud Bacchylidem et Callimachum historiae speciem prae se ferunt?

Non eadem ratio valet in eos atque in hodiernos poetas, quibus multo maior libertas concessa est. Bacchylidi, cum Argei, civis sui, laudes essent canendae, non quidquid placebat carmini inserere licuit. Respiciendus erat populus, hymnos publice cantatos non solum audire sed etiam intelligere atque iis delectari cupiens. Quod si plane consequi volebat poeta, in iis, quae de patriae principumque rebus gestis atque origine canebat, traditioni patrocinandum erat, notae inter cives atque acceptae. Ita fit, ut eiusmodi carmina, qualis est hymnus in honorem Argei Isthmionici cantatus, etsi singula, utpote poeticae libertati concessa, nimium premenda non sunt, tamen ad universam rerum factarum naturam cognoscendam utilissimo auxilio sint.

Paulo aliter res se habet in Callimacho, praesertim in Aetiis, quippe quae ea de causa componi solerent, ut antiqua investigarentur et quae comperta essent vel saltem, quae documentis, plerumque cultibus et traditionibus popularibus, satis stabilita viderentur, qua forma eruditis lectoribus accepta essent, divulgarentur. Callimachum sedulo semper operam navasse, ut

antiquissima et fide dignissima e saeculorum oblivione protraheret, cum sincere profiteatur: ἀμάρτυρον οὐδὲν ἀείδω [1]), libenter credimus; attamen quantopere suis ipsius affectibus a vero delici potuerit, supra [2]) didicimus. Quamquam fortasse maiore etiam iure quam Bacchylides postulat, ut fides sibi habeatur, tamen prorsus integro atque incorrupto fonte Callimachi narrationibus uti non licet.

Haec de Bacchylidis deque Callimachi fabulis in universum dicenda mihi visa sunt. Ad Cretes, quibus disputationis tanta pars debetur, mox secundo capite reducemur, mythos singulos, quos tractare huius est libelli, suae paragraphi manent.

---

1) cf. p. 15.

2) p. 15. n. 1.

## CAPUT II.

### DE CEI INCOLIS ANTIQUISSIMIS. QUAERITUR, QUAS GENTES IN MYTHIS CEIS VESTIGIA SUA RELIQUISSE VERI SIMILE SIT.

§ 1. *De testimoniorum generibus atque auctoritate.*

Cei historiam antiquissimam investigantibus, quam mythologicis inserere necessarium duximus in praefatione [1]), tria testimoniorum genera praesto sunt. Documenta ab antiquis scriptoribus tradita diu nobis unico fonti erant summaque auctoritate florebant, nunc, etsi eorum semper in primis ratio est habenda, tamen tutius confidemus iis, quae nulla scriptorum opinione interposita ex ipsis iis, de quibus agitur, temporibus ad nos pervenerunt, inventa, dico, archaeologiae et nomina locorum [2]). Nam quamvis sincere rerum scriptores studuisse censeamus, ut antiquissima et fide digna e variis rumoribus enuclearent, tamen in eorum scriptis semper ad primae aetatis homines accedimus per Herodotum vel Thucydidem. Ita quadamtenus eorum oculis spectamus, qui longo iam temporum spatio distabant a studiorum materia neque iis scientiae adminiculis praediti essent, quibus in tam periculosis

---

1) cf. p. 2.

2) cf. Bolkestein. Overlevering en overblijfselen p. 13.

disquisitionibus opus est. Terra vero defossa ad ipsos homines nos admittit. Sed cum ea via saepe allatum vidimus, quod graves quaestiones ad Cycladum historiam antiquissimam pertinentes inexpedita solutione iuvaret [1]), vix hucusque inventa sunt, quae de Cei incolis antiquissimis nova ac certa nos doceant.

Qua in difficultate altero genere testimoniorum iuvamur. Sunt enim e locorum nominibus quaedam quae barbaris Carum [2]), Phoenicum [3]), Cretum [4]) linguis debita duxerint viri docti. Non magna copia abundant ea, quibus in hac re documentis utimur, sed maximi momenti saepe sunt, quae vel ex paucis efficere liceat. Nam verum si tetigerunt virorum doctorum studia navata in eorum nominum origine investiganda, Cares, Phoenices, Cretes insulae Cei fuisse incolas iam constat. Ratio enim fert, ut carica voce nonnisi Cares, Cretes solos cretica locum quendam designare putemus. Idem de Phoenicibus valet, quos ideo tantum nominavi extremo loco, quoniam, quamvis strenue olim persuasum haberent viri docti, ut in omnibus insulis graecis, ita Cei quoque nonnulla ex eorum consuetudine et lingua esse explicanda, nunc opinionis illius auctoritas magnopere deminuta videtur. Quae de nationibus docent nomina locorum iis qua de causa magna fides debita sit, iam dictum

---

1) cf. Savignoni Ἐφ' ἀρχ. 1898. Tsountas ibid. 1898 en 1899. Graindor B. C. H. 1905 p. 321 sqq. Dussaud. Les civilisations préhelléniques dans le bassin de la mer Egée (Paris 1910) p. 65—96.

2) Kretschmer. Einleitung in die Geschichte der Griechischen Sprache 1896 p. 317 sqq. en 405.

3) Olshausen Rhein. Mus. N. F. VIII p. 328.

4) Broendsted. Voyages et recherches dans la Grèce I. p. 87. K. O. Müller Kl. Schr. I p. 58. Halbherr Mus. Ital. I p. 194. cf. Pridik. De Cei insulae rebus p. 7. n. 2.

est. Attamen non immutata ea accepimus. Inde a creatoribus, ut ita dicam, in variarum gentium linguas transierunt atque earum formis assimilata sunt. Sed quamvis mutata, ea nomina, quod ab initio proprium fuerat, ita saepe servarunt, ut a nobis agnosci et ex origine derivari possit [1]).

A testimoniis igitur archaeologiae opera inventis atque a nominum investigationibus certissima sperare licet; quae scriptores docent, cum iis comparanda sunt, ut quid verum vel saltem quid probabile videatur, constitui possit. Praeter documentorum diversam naturam investigatio nostra etiam ea laborat molestia, quod identidem, ut res solvatur, per se quidem minimi ambitus, maximae quaestiones sunt attingendae. Diiudicare e. g. ut possimus, num quae Phoenicum colonia phoenicia elementa in Cei institutiones et res sacras inferre potuerit, quadamtenus de tota, quae dicitur, quaestione phoenicia iudicium feratur necesse est. Cum autem talia huius libelli ambitum excedant, cum praesertim non ipsarum eiusmodi rerum nostra intersit, sed id tantum discere speremus, quaenam gentes mythis ceis *χαρακτῆρα* suum imprimere potuerint, a summa rerum, quantum fieri potest, abstinebimus neque quae de Caribus, Cretibus, Phoenicibus iam

[1]) De his rebus videatur A. Fick Vorgriechische Ortsnamen. Gott. 1905, qui et in hoc libro nec minus in supplemento: Hattiden und Danubier Gott. 1909, quae Graeciae nomina peregrinam originem produnt, ad singularum Asiae Cretaeque gentium linguas reducere conatus est. Qua in re licet fortasse hic illic ingenio nimis indulserit, tamen et rectam viam monstrasse mihi videtur et multa constituisse, quae vix addubitari possunt neque omnino dignus est eius liber viri docti E. Meijer iudicio. Gesch. d. Alt. I², II § 506 p. 685.

constituisse videntur E. Meyer[1]), Busolt[2]), alii[3]) iterum aggrediemur; tantummodo quae ex illorum investigationibus ad Ceum pertineant, exponemus. Praeterea pauca, quae post eorum opera publici juris facta vel archaeologia vel alia studia docuerunt, addere necesse erit.

## § 2. *Quid archaeologia doceat de Cei incolis antiquissimis.*

Graecos non fuisse primos Cycladum incolas iam diu evicit archaeologia neque hoc ignorabant auctores antiqui de Caribus Cretibusque multa disserentes[4]), quae magna ex parte inventis recentissimis confirmantur. Sed Ceum quoque fuisse „culturae", quam nos dicimus, „Cycladicae" participem pro certo non constabat antiquam investigationum eventus publici iuris fecit P. Graindor[5]). Sane moenia in modum, qui dicitur, cyclopicum aedificata, ubi olim Carthaeae rudera agnoverat Broendsted[6]), inventa erant sed utrum Ionum primis colonis an antiquiori cuidam genti ascribenda essent, ambigebatur, quamquam huic opinioni patrocinatus erat Savignoni[7]) propter

---

1) Gesch. d. Alt. I² II § 507. cf. I¹. p. 321. Ersch und Grubers Encycl. I 33 p. 53—57.

2) Griech. Gesch. I² p. 62, 293 n. 1.

3) e. g. G. Meijer. Die Karier. Diss. Königsberg 1885. Paton & Myres. Carian sites. J. H. St. XVI p. 270 sqq. Tsountas *Κυκλαδικά* *'Εφ. 'Αρχ* 1898 et 1879. Wolf-Aly. Karer und Leleger. Philologus XVIII 1909 p. 428—444. Dussaud. Les civilisations prehelléniques dans la bassin de la mer Egée.

4) Thuc I, 4 et 8. Her. I, 171. cf. Diod. V. 84 p. 76. Graindor B. C. H. 1905 p. 331 atque Tsountas *'Εφ' ἀρχ* 1899. p. 79 et 80 n⁰. 1, 2. 10.

5) B. C. H. 1905 p. 331 sqq.

6) Voyages et recherches dans la Grèce I, p. 10 sqq.

7) *Εφ' ἀρχ.* 1898 p. 225.

intimam cum reliquiis eiusdem structurae Mycenis, Tirynthe, in insula Samothrace effossis similitudinem. Huius sententiae fidem auxit sepulcrum eiusdem vel etiam paulo antiquioris aetatis, Carthaeae in arce defossum, cuius et structura et forma in mentem revocant ea, quae septem ante annis insula Syros luci reddiderat [1]). Immo tanta similitudo prodit ex iis, quae de utroque invento scripserunt viri docti exque imaginibus quibus disputationes eorum illustrantur, ut quin iisdem temporibus morumque et consuetudinum statui eidem attribuendum utrumque sepulcrum sit vix iam dubitari possit [2]).

Cycladicis simillima esse sepulcris ea, quae in Caria inventa sunt, demonstraverunt W. R. Paton et J. L. Myres [3]). Quae cum Cariae ei parti propria sint, quam olim Leleges incoluisse ferebantur [4]), hanc opinionem proferunt viri docti: Lelegibus assignanda esse carica quae vulgo audiebant sepulcra, atque inter incolas Cariae (Leleges) atque Cycladum exstitisse rituum sepulcralium comunionem quandam, qua vulgata traditio de Lelegibus olim per insulas ipsamque Graeciam dispersis magnopere stabiliatur. Quae si ita sunt, ad nostram investigationem utilissima docuerunt Paton et Myres, verum eiusmodi traditiones qualem de Lelegibus Strabo servavit tum modo constare videbuntur si reliqua investigatio documenta praebebit, quibus eadem sententia evincatur [5]). Quod antequam nobis contigerit, diudicare nequimus, utrum Lelegibus

---

1) De his vide Tsountas *Κυκλαδικά. 'Εφ' ἀρχ.* 1898 p. 74.

2) J. H. St. XVI p. 264 sqq.

3) l. l. p. 268—269. Strabo. XIII p. 611 cf. VII p. 321.

4) l. l. p. 270.

5) In Herodoti Thucydidisque testimoniis percensendis ad hanc quaestionem redeundi locus erit vide § 4.

Caribusve an alii cuidem genti ascribendum sit sepulcrum illud, quod Carthaeae invenit Graindor. In praesens hoc investigationis eventu contenti esse cogimur: ut alias insulas graecas sic Ceum, quo tempore florebat „Cycladica cultura" incultam iam non fuisse. Eiusdem rei parvum testimonium praebet lapis quidam [1]), in quo F. Halbherr [2]) nomina non graeca agnovit, quae tamen accuratiori opinioni ansam praebere non visa sunt.

## § 3. *De locorum nominibus.*

Universa notitia de primis Cei incolis constituta nunc, paucis quidem documentis usi, accuratiora cognoscemus de eorum natione.

E tetrapolidis Ceae nominibus duo nonnulli ad exterarum gentium linguas rettulerunt, Carthaeam et Coressum; neque Poieessae neque Iulidis graeca origo umquam in dubium vocata esse videtur. Nec mirum hoc est, nam illius urbis nomen vix dubium movere potest, de Iulide certi nihil constituendum videtur. Urbis originem primus explicavit Steph. Byz. *Ἰουλίς πόλις ἐν Κέῳ τῇ νήσῳ ἀπὸ Ἰουλίδος κρήνης*, sed in eius testimonio non magna fides est ponenda [3]). Tamen fieri potest, ut veri hic latetat indicium. Iulis enim in mentem revocat *Ἰουλώ*, quo cognomine messis deam a mergitibus (*ἴουλοι*) appellari ex Semi Delii auctoritate perhibet Athenaeus [4]). Ab ea ratione

---

1) I. G. XII 5, 1, 2⁰. 583.

2) Museo Italico 1885. 199. J.

3) cf. Pridik. p. 6.

4) Athen. XIV, 618. D—E: *Σῆμος δ' ὁ Δήλιος ἐν τῷ περὶ παιάνων φησί · τὰ δράγματα τῶν κριθῶν αὐτὰ καθ' αὑτὰ προσηγόρευον ἀμαλας, συναθροισθέντα δὲ καὶ ἐκ πολλῶν μίαν γενόμενα δέσμην οὔλους καὶ ἰούλους, καὶ τὴν Δήμητρα ὁτὲ μὲν χλόην ὁτὲ δὲ Ἰουλώ . ἀπὸ*

aliena non esset *Ἰουλὶς κρήνη*. Fieri potest ut cognomen Iulo perantiquae deae, cui renascentis naturae primitiae sacrae fuerint, memoriam servet. Cui deae oblata sunt carmina eodem nomine Julo designata, sicut hoc in Lino ac Lityerse factum videmus. Tum quoque ratio fert, ut sive *Ἰουλίδα κρήνην* urbi nomen daturam, sive utramque ab ea dea, cuius originem carmina illa nec minus ipsius natura Asiae vindicent, appellatas ducamus. Sed quidquid rei est suspicionibus amplum spatium conceditur, certi quidquam indagare non possumus.

Apud Callimachum [1]) Xenomedes, cum in Cei historia pervenisset ad eam aetatem, qua urbes conditae sint, tetrapolidis *κτίστας* enumerare a docto poeta dicitur Iulidis Eupylum, Chrysis heroïnae filium, Aphrastum Coressi, Carthaeae Megaclem, Poiessae eum, cuius mutilatum nomen a litteris *Ἀκαι* . . incipiens in integrum restitui hucusque non potuit. Nulla nobis superesse, quibus haec historia illustratur, annotavit Puech [2]) neque post eius studia quidquam innotuit unde de conditorum nominibus patriisve indicia colligenda essent. Graeca sunt ea nomina, quae res una cum solo minimoque additamento, Eupyli matre commemorata, Callimachum traditionem secutum esse quandam testatur, quae, quippe insulae res unice cum Graecia coiungens, exstitisse non potest, nisi cum iam antiquiora omnia in oblivionem abiissent.

---

*τῶν οὖν τῆς Δήμητρος εὑρημάτων τοὺς τε καρποὺς καὶ τοὺς ὕμνους τοὺς εἰς τὴν θεὸν οὔλους καλοῦσι καὶ ἰούλους. δημητρούλοι καὶ καλλίουλοι. καὶ „πλεῖστον οὖλον ἵει, ἴουλον ἵει" ἄλλοι δέ φασιν ἐριουργῶν εἶναι τὴν ᾠδήν.* Hes. 3. v: *οὖλος = ἴουλος.* Phot. s. v. Et. M. 472, 36.

1) Vss 70—74.

2) R. E. G. 1910. p, 268. n. 6.

Barbarorum vidimus a Callimacho vestigia nulla servari, nisi quae vulgata traditio de Caribus refert [1]), itemque res se habet apud ceteros poetas. Unus Bacchylides [2]) Cretes commemoravit a Callimacho neglectos, sed, quod maxime est dolendum, ex eius carmine integra nulla supersunt, quae quidem huc faciunt, praeter eos versus, quibus Dexitheae historia enarratur.

Apparet igitur antiquos, etsi barbaros olim Cycladibus insedisse vulgata referebat traditio, de graeca origine earum urbium, quas suis temporibus graecas noverant dubia nulla habuisse. Recentiores autem viri docti omnia alia iudicarunt. Olshausen [3]) primus nomina graeca nonnulla e Phoenicum lingua repetiit, in quibus est *Καρθαία*, quam vocem e Melcarteia corruptam esse voluit. Aliam etymologiam proposuit G. Meyer [4]) *Καρθαίαν* a radice karth, qua revera utitur phoenicia lingua, potius deductum ratus. Quam periculosa autem sint eiusmodi derivationes monuit Savignoni [5]).

Neque nova inventa ulla nec apis, quae cum Aristaei mythis coniuncta est, in Carthaeae nummis [6]) obvia,

---

1) Ac. et Cyd. vs. 62.

2) Ed. Blass. C. I Coll. II 101—118.

3) Rhein. Mus. N. F. VIII p. 328.

4) Die Karier. Diss. Gött. 1885 p. 3[1]. Confirmari haec sententia videri potest Stephani Byzantii verbis: *Καρθαία . . . . ἀπὸ Καρθίου τελευτήσαντος ἐκεῖ* — personae enim nomen etiam propius a radice phoenicia distat, siquidem eiusmodi testimonio, quod iure nihili fecit Pridik p. 5, fidem habere velis.

5) *Ἐφ. ἀρχ.* 1898 p. 225.

6) cf. Broendsted. Voyages et recherches dans la Grèce I: tab. IV n⁰. 3, tab. XXVII: II, a, n⁰. 9, II, c, 16, II, b, 3. tab. V 1 (p. 124), tab. XIII 1 (p. 123), tab. II, a, 6, tab. II, a, 3 et 4, tab. IV 6 et 8 (p. 123) cf. Head. Hist. Num.[2] p. 411. Graindor B. C. H. 1905. p. 353 n⁰. 1, 3, 4.

nec ipsae fabulae ad urbis originem indagandam quicquam valent.

Ergo numquod umquam Cei incolas cum Phoenicibus coniunxerit vinculum, quo vestigia eorum, si qua in rebus sacris invenientur, explicari possint, e solis iis documentis, quae nobis ipsa insula donavit, colligi vix poterit. Sed in hac disquisitione angustis Cei finibus nosmet continere non licet. Nam seu usque in remotas insulas imperium suum propagasse Phoenices coloniisque validis in omnes partes deductis confirmasse putamus, seu nullas in mari Aegaeo nisi institorum partes egisse, seu, quae est viri docti E. Meyer [1]) sententia, illos mercaturae quidem gratia omnes fere terras visitasse et emporia locis aptis imposita omni vi munivisse [2]) censemus, insulanis fuisse cum Phoenicibus commercium consentaneum est idque Thycydidis [3]) aliorumque scriptorum testimoniis satis confirmatur [4]). Quae cum ita sint, Phoenices Ceum, quae fertilissima insula iam

---

[1]) Gesch. d. Alt. I[1]. p. 231.

[2]) Apte ad hanc opinionem stabiliendam Pridik p. 13, contulit Thuc. VI, 2, 6. *ᾤκουν δὲ καὶ Φοίνικες περὶ πᾶσαν μὲν τὴν Σικελίαν ἄκρας τε ἐπὶ τῇ θαλάσσῃ ἀπολαβόντες καὶ τὰ ἐπικείμενα νησίδια ἐμπορίας ἕνεκεν τῆς πρὸς τοὺς Σικελούς· ἐπειδὴ δὲ οἱ Ἕλληνες πολλοὶ κατὰ θάλασσαν ἐπεσέπλεον, ἐκλιπόντες τὰ πλείω Μοτύην καὶ Σολόεντα καὶ Πάνορμον ἐγγὺς τῶν Ἐλύμων ξυνοικήσαντες ἐνέμοντο, ξυμμαχίᾳ τε πίσυνοι τῇ τῶν Ἐλύμων καὶ ὅτι ἐντεῦθεν ἐλάχιστον πλοῦν Καρχηδὼν Σικελίας ἀπέχει.*

Quae in universum docet E. Meyer, his Thucydidis verbis, quod ad Siceliam attinet, egregie illustrantur. Et qua de causa in Sicilia Phoenices aliis atque alibi consiliis usos esse suspicemur?

[3]) I, VIII.

[4]) Videantur de quaestione Phoenicia R. v. Pöhlmann. Grundriss d. Gr. Gesch. p. 22—24, ubi qui eam tractaverunt, commemorati sunt.

ante eorum adventum, saeculo XIV hodie ascriptum[1]) a Cycladicae culturae hominibus tenebatur ideoque commerciis iungendis aptissima erat, non praeteriise ratio evincit.

Sed quidquid rei est, vestigia eorum praeter quod in Carthaeae nomine servari nonnulli censuerunt, nulla Cei exstant.

Certiora docent nomina per - *σσ* - formata. Quattuor sunt, quae Cei inveniuntur: *Κορησσός*[2]) et *Ποιήεσσα* de tetrapolide urbes erant, tota insula in Nympharum fabula, haud secus ac Tenos[3]) et Andros[4]), appellabatur *Ὑδροῦσσα*[5]); *Μέλισσος* sive *Μέλισσον* pagus quidam audit in Carthaeae finibus situs[6]). Nomina ita formata maximam partem e graeco sermone explicanda non esse iam satis diu inter viros doctos constat.

Praeterea quominus *Κορησσόν* Ceo proprium nomen putemus, obstat, quod alibi quoque et in Creta et in Asia insulisque, quae in orientem versae sunt, eiusdem nominis radix invenitur, quae tamen non tam communis est, ut nullo vinculo intercedente et hic et illic per se

---

[1]) cf. Busolt I² p. 52.

[2]) I. Voss, in annotatione ad Scylacis Peripl. p. 21 tria nominis formas usurpari commemorat: *Κορησίαν*, *Κορησσόν*, *Κορισσόν*. Plerique scriptores simplici *σ* utuntur, Steph. Byr. *v.* *Κῶς* et Probus ad Verg. Georg. I. 14. *σσ* scribunt. Nostra investigatio hoc discrimine non impeditur. Saepius enim asiatica consona ss, ut infra videbimus, a Graecis utroque modo redditur. Praeterea montis illius insularumque Corassiarum nomina duplici sigmate utuntur. cf. Pridik. p. 7. n⁰. 2.

[3]) Steph. Byz. s. v. 621—11.

[4]) Plin. N. H. IV 65.

[5]) Heracl, F. H. G. II. p. 214, qui locus infra exscriptus est.

[6]) P. Halbherr. Museo italiano di Antichita I (1885) 207 cf. Busolt I² 293, n⁰. 1.

orta esse facile credatur. Sin autem ex altera regione in alteram illatum nomen est, quin Ceus acceperit a Cretibus equidem vix dubitare possum, quippe quos ex insula sua Cycladas iam inde ab antiquissimis temporibus petiisse frequens lapidis obsidiani, qui Meli inveniebatur optimus, commercium doceat [1], cum contra Cei incolas sive Graecos sive antiquiores in Creta consedisse, ubi *η Κορησία λίμνη* erat [2], nullo modo traditum est. Sed alio tendunt vestigia, quibus fidem habere equidem malim. Suffixum *-σσ-*, cuius ope nomina complura formata sunt [3], e Graeco sermone nullo modo explicari potest, quod iam antea a nonnullis observatum viro docto P. Kretschmer, ut altius in hanc rem penetraret causae fuit [4]. Operae pretium esse videtur eius argumenta paulo fusius referre.

Lycius sermo in nomimibus constituendis utebatur suffixis -azi (-azi) et -azo (-äzo), quae in Graecorum transscriptione per *-ασις* (*-εσις*) et *-ασος* (*-ησος*) redduntur. Probant hoc varii loci, quibus seu lycia vox una cum graeca versione legitur e. g. in inscriptionibus bilinguibus, seu parata est, utpote in nomine proprio, lyciae atque graecae formae

---

1) Dussaud. Les civilisations préhelleniques dans le bassin de la mer Egée. Paris. 1910. p. 58.

2) Steph. Byz. i. v. *Κόριον* cf. Pridik. p. 7[2].

3) Enumerata magna eorum pars est ab Eduardo Meyer. Gesch. d. Altert. I[2] II § 506 p. 683/4.

4) Primus, quod sciam, H. Kiepert (Lehrbuch d. Alten. Geogr. p. 73. 90) locorum nomina per suffixa -nd et -ss constituta non solum a Graeco sermone aliena sed etiam omnino Indogermanorum Semitumque, qui hodie dicuntur, Asiae possessione antiquiora duxit. Quod quatenus verum sit, efficere non huius est loci. Scire nobis satis est eas formas non graecas sed asiaticas esse. cf. Kretschmer p. 290.

comparatio.[1]) Ad propositum nostrum propius accedimus, si deinde a v. d. Kretschmer nomima ea, quae ceteroquin in Asia simplici σ[2]) utuntur, in Caria plerumque per σσ formata inveniri discimus[3]), licet hic illic eiusdem vocis utraque forma exstet. Praeter terminorum -ησσις, -ασσις, -ισσις exempla, e quibus nostra praecipue ultimum novisse magni interest, unum tantum vocabulum Kretschmer citavit, quod in -ησσος -ασσος abeat, Herodoti patriae nomen Ἁλικάρνησσον, ut procul dubio Caricum; cetera e. g *Κνωσσόν*, *Ποικιλασσόν* *Καρνησσόπολιν*, *Κορησσόν*, ea, quae in ipsa Graecia inveniuntur, velut *Περμησσόν* *Παρνασσόν*, generatim asiatica appellavit [4]) Argumentorum autem lacunam supplet viri docti G. Meyer dissertatio inauguralis[5]) cui longa series eiusmodi nominum, ex ipsa Caria desumptorum, subiuncta est. Quorum si quis multitudinem — de 411 Caricis nominibus, quae citantur, 63 eius formae sunt, quae huc pertinet — pro finibus, quibus includuntur, angustis satis magnam considerat, comparatque tum cum omnium Caricorum nomimum numero, tum cum paucis eiusdem formationis exemplis, quae aliunde cognita sunt, facere non potest, opinor, quin vv. dd. Meyer et Kretschmer secutus pro Cariae propriis talia nomina habeat.

Asiaticam Corressi nominis originem etiam geographia demonstrat. Si quis enim Ceo in orientem versus Gyarum,

---

[1]) Longum est totam testimoniorum seriem enumerare; citatis e. g. Sbikaza: *Σπίγασα*, Tavinäzor : *Τευίνασος*, Pureus: *Πίρεσις* liceat de reliqua argumentatione ad v. d. Kretschmer p. 311 sqq. referre.

[2]) Asiatica indicantes commodi gratia eis formis utemur abhinc, quae in transcriptionibus graecis inveniuntur.

[3]) Einl. i.d. Gesch. d. Gr. Sprache p. 317.

[4]) Ibidem p. 405.

[5]) Die Karier. Diss. Königsberg 1885 p. 11—26.

Tenum, Icariam superavit inter hanc insulam ac Scammum Corassias insulas [1], transgressus autem in continentem terram, prope Ephesum Coressum montem [2] inveniet. Quae cum consideramus, iam perspicuum est Ceum nomen *Κορησσόν* e patria a colonis (piratisve?) in novas sedes vel simul in utrasque vel, si prius insulis Corassiis [3] atque deinde Ceo insedisse putandi sunt, illic priore migratione sed in nostram insulam postea, cum porro procedere seu vitae necessitudo seu mutabilis animus ferret, translatum esse.

Geographica igitur linea illa e Caria in Ceum insulam ducens, quidquid lacunae argumenta ex vocabuli forma petita reliquerunt egregie supplere mihi videtur. Hucusque fere unice de Coresso locuti sumus sed, quae de eo nomine constituimus, aequo iure in *Μέλισσον* quadrare vix est quod moneam. De duobus enim nominibus eodem termino formatis si, qua via alterum e patria migrarit, paene gradatim sequi licet, in altero ad originem illustrandam sola forma documenti satis esse mihi videtur. *Κορησσόν* igitur et *Μέλισσον* nomina esse e Caria oriunda mihi quidem persuasum est.

Una restat molestia, quod in Creta *ἡ Κορησία λίμνη* exstitit, quod nomen Eteocretum genti proprium ducit A. Fick [4] quamvis parca argumentorum copia opinionem suam adstruens. Ex iis, quae nuper disseruimus, haec quaestio sequitur, utrum in Caria ortum postea cum in

---

1) Strabo X 488. cf. Pridik p. 7².

2) Strabo XIV 634 et 640. cf. Pridik. p. 7².

3) A. Fick, Vorgriechische Ortsnamen. Gött. 1905 p. 54: „... sicher Karisch benannt ist die Gruppe der *Κορασσίαι* .... vgl. *Κορησία λίμνη* bei Lappa in Kreta, *Κορησσός* bei Ephesos, der Ausgang *ασσ* ist echt kleinasiatisch."

4) A. Fick, Vorgriechische Ortsnamen p. 24. cf. autem eiusdem libri p. 54.

Cretam tum in Corassias insulas Ceumque devenerit, an contra Cretae loco inditum a gente quadam, quae breve tempus in Minois insula morata est, in Asiam translatum esse dicendum sit. Sed talia effici nequeunt, nisi de tota hac quaestione, quaenam inter Asiae Cretaeque incolas vincula olim intercesserint [1] iudicium feratur. Ea autem disquisitio ab huius libelli argumento aliena est. Nobis scire tantum opus est, unde Ceus Coressum nomen acceperit. Quod e Caria devenisse nobis satis est neque utrum prima, an, ut ita dicam, secunda eius origo sit regio illa, nostra nunc refert.

De ceteris nominibus haud multa nobis dicenda restant. *Ὑδροῦσσα* enim et *Ποιήεσσα* sive ea nomina ab incolis graecis e barbara quadam forma mutata sunt — id quod in tanta testimoniorum inopia vix quisquam demonstrabit — sive a graecis conditoribus locis indita, nunc quidem nihil habent, quod ad barbaros nos reducat. Utrique graecus sermo paratam habet explicationem. „Aquosam" enim fertilissimam insulam in nympharum fabulis [2]) appellatam esse neminem, ni fallor, mirum habebit, nec magis id quod aquosae insulae loco cuidam „Pabulosae" nomen datum sit sive a conditoribus seu ab incolis recentioris aetatis. Formis barbari nihil inesse monuit Kretschmer [3]); solent enim adiectivorum, quibus abundantia significatur, formae femininae abire in *ουσσα* (<*οεσσα* <*ο ϝεντjα*). [4])

Nomina in Ceo insula obvia, quid itaque docent?

---

1) cf. Pöhlman p. 18.

2) Heraclides. F. H. G. II 214. Call. Ac. et Cyd. vs 58. Hes. s. v. *Ὑδροῦσα*.

3) p. 405.

4) cf. Hirt. Handbuch d. Griech. Laut- und Formenlehre 1902 § 334. 5. Kühner-Blass 1892 § 334. 12.

Phoenicum dubiam debilemque memoriam fortasse *Καρθαια* servavit. Urbs *Κορησσός* a gente quadam Caricae originis, quae gradatim insulas occupaverat — hoc enim docet series illa Corressorum, qua Ceus cum Asia cohaeret — nec minus pagus Melissos nomen suum accepisse ducendus est. E ceteris nominibus *Ὑδροῦσσα* et *Ποιήεσσα* procul dubio Graecis incolis debentur; de Iulide nihil omnino constat.

Quae cum ita sint, Ceum ab iisdem gentibus asiaticis, quarum memoriam in ipsa Graecia nomina e. g. *Βριλησσός*, *Παρνασσός*, *Ὑμηττός* (= *Ὑμησσός*), servant, habitatam esse apparet. In eiusmodi investigatione pauca locorum quam hominum multa nomina certiori documento sunt. Haec enim cum gentibus migrantibus alio transeunt, illa quasi arbores herbaequa cum ipsa terra concrescunt atque, a pristinis incolis relicta recipi solent a successoribus.

## § 4 *De Herodoti, Thucydidis, Bacchylidis testimoniis.*

Incolarum antiquissimorum, ad quos mythorum origo referatur, vestigia indagantes etiam rerum scriptores poetaque unus indiciis nonnullis nos iuvant. Herodotus enim et Thucydides atque e poetis Bacchylides de Caribus Cretibusque insularum dominis ea referunt, quorum seria disquisitio nobis quoque usui esse potest.

Qua ratione eorum testimonia adhibere necesse sit, supra iam vidimus [1]. Quae de Cei incolis narrant Herodotus et Thycydides, distingui necesse est. Etenim cum Herodotus Ceos *ἔθνος Ἰωνικὸν ἀπ' Ἀθηνέων* appellavit, quae eadem sententia postea itidem Thucydidi [2]) placuit, uno nomine insularum incolas

[1]) p. 26. sq.

[2]) VIII 46.

complexo [1]), nonnisi suam uterque aetatem spectabat. Vetusta vero tempora respiciens Herodotus cunctos *νησιώτας* nuncupat *πελασγικὸν ἔθνος*, quod deinde *Ἰωνικὸν ἐκλήθη κατὰ τὸν αὐτὸν λόγον καὶ οἱ δυοδεκαπόλιες Ἴωνες οἱ ἀπ᾽ Ἀθηνέων.* Quae autem hic exposita sunt ab Herodoto, doctius multo et ratione archaeologica illustrata habemus in Thucydidis libro I c. 8, 1 ...... *οἱ νησιῶται, Κᾶρές τε ὄντες καὶ Φοίνικες· οὗτοι γὰρ τὰς πλείστας τῶν νήσων ᾤκησαν. μαρτύριον δέ· Δήλου γὰρ καθαιρομένης ἐν τῷδε τῷ πολέμῳ καὶ τῶν θηκῶν ἀναιρεθεισῶν ὅσαι ἦσαν τῶν τεθνεώτων ἐν τῇ νήσῳ, ὑπὲρ ἥμισυ Κᾶρες ἐφάνησαν, γνωσθέντες τῇ τε σκευῇ τῶν ὅπλων ξυντεθαμμένῃ καὶ τῷ τρόπῳ, ᾧ νῦν ἔτι θάπτουσιν.* Multum a viris doctis vexatus hic locus est. Quem Tsountas [3]) aliquatenus sane defendit nec tamen quidquam auctoritatis habere censet. Eiusdem opinionis sunt Paton et Myres [4]), atque Blinkenberg [5]), dubia moventes, magis minusve gravia, quae tamen cuncta, quippe non e certis indiciis nata, me quidem iudice, ad loci fidem deminuendam parum valent. Certe quod Carica fuisse ea arma dixit Thucydides quodque sepulturae modum respiciens verbis utitur *ᾧ ἔτι καὶ νῦν θάπτουσι*, eo apparet cuncta inventa ad vestustam aetatem ab eo referri. Numquid igitur de iis temporibus noverit scriptor, quis hoc diiudicabit? Saltem accurate rem investigasse Thucydidem ipsa eius verba prodere mihi videntur.

---

1) VII, 57, 4 Insulani: *τὸ πλεῖστον Ἴωνες ὄντες καὶ ἀπ᾽ Ἀθηναίων.*

2) VII 95.

3) *Ἐφ᾽ ἀρχ.* 1898. p. 205/6.

4) J. H. St. XVI p. 267.

5) Mém. d. Antiquaires du Nord. 1896, p. 59.

At si Thucydidis loco fides est habenda optime confirmantur, quae de Caribus Cycladum omnium, ergo Cei quoque, incolis fama ferebat antiqua. Si porro adduntur, quae nominum Ceorum investigatio nuper docuit, quantum certi in re incerta sperari potest, nancti esse videmur [1]). De Cei incolis iam satis compertum haberemus si nulla nisi Carum vestigia exstarent. Sed quae Herodotus I. 171 exposuit tum ad antiquiores Cycladum incolas cum ad eos, qui in Carum locum successerunt, pertinent. Eos quoque Thucycides I, 1 respicit. Primum autem videamus de Herodoto, cuius verba exscribere operae pretium est:

*εἰσὶ δὲ . . . . Κᾶρες μὲν ἀπιγμένοι ἐς τὴν ἤπειρον ἐκ τῶν νήσων. τὸ γὰρ παλαιὸν ἐόντες Μίνω κατήκοοι καὶ καλεόμενοι Λέλεγες εἶχον τὰς νήσους, φόρον μὲν οὐδένα ὑποτελέοντες, ὅσον καὶ ἐγὼ δυνατός εἰμι ἐπὶ μακρότατον ἐξικέσθαι ἀκοῇ· οἱ δὲ ὅκως Μίνως δέοιτο, ἐπλήρουν οἱ τὰς ναῦς. ἅτε δὴ Μίνω τε κατεστραμμένου γῆν πολλὴν καὶ εὐτυχέοντος τῷ πολέμῳ, τὸ Καρικὸν ἦν ἔθνος λογιμώτατον τῶν ἐθνέων ἁπάντων κατὰ τοῦτον ἅμα τὸν χρόνον μακρῷ μάλιστα . . . . . μετὰ δὲ τοὺς Κᾶρας χρόνῳ ὕστερον πολλῷ Δωριέες τε καὶ Ἴωνες ἐξανέστησαν ἐκ τῶν νήσων καὶ οὕτω δὴ εἰς τὴν ἤπειρον ἀπίκοντο. κατὰ μὲν δὴ Κᾶρας οὕτω Κρῆτες λέγουσι γενέσθαι.* Cares autem, sic pergit Herodotus, ex Asia oriundos se suam semper servasse patriam perhibent, cui opinioni varia favent argumenta

---

[1]) Id, quod nusquam Ceum nomen legitur exceptum neque nisi VII 57, 4 Cei nominatim citantur, non scriptoris neglegentiae debetur. Hoc enim vitio minime laborare Thucydidem docent e. g. Carystii eodem loco ex Ionum numero consulto exempti utpote Dryopes.

tum e linguarum, quibus asiaticae gentes utebantur, similitudine cum e sacrorum communione desumpta. Quoniam tam accurate rem controversam exposuit Herodotus, factum esse non potest, quin gravia fuerint, quae, ut Creticae traditioni adstipularetur, eum induxerunt. Tamen falsam esse Herodoti opinionem iudicavit Busolt: „Es liegt auf der Hand, dass die Karische Ueberlieferung den Vorzug verdient, zumal auch andere Anzeichen dafür sprechen, dass die Karer wie die Lyder, Myser und Phrygiër zu der indogermanischen Völkergruppe Klein-Asiens gehören; die Kretische Ueberlieferung ist wohl dadurch entstanden, dass einerseits die vorgriechische Bevölkerung auf den Inseln eine Lelegische war und dass sich anderseits wohl noch eine dunkle Kunde über dass Zurückweichen der Karer von den Inseln erhalten hatte, während man nicht mehr wusste von wo aus sich die Karer über das Aegaeïsche Meer verbreiteit hatten. Es lag daher nahe das zürückweichen der Karer nach Karien als erste Einwanderung zu betrachten" [1]). Quam si sequimur sententiam, — neque scio quid rectius de hac re iudicari possit — Leleges fuerunt primi Cycladum ergo Cei quoque incolae. Praeter duas has gentes etiam Cretes Ceum incoluisse

---

1) Griech. gesch. $I^2$ p. 184 cf. E. Meyer. Gesch. d. Als. $I^2$ § 507 et Ersch u. Grubers Encycl. sect II pars 33 p. 53—57. G. Meyer. Die Kariër. Diss. Königsberg 1885. Paton et Myres. J. H. St. XVI p. 273. Quae a viro docto Busolt proferuntur ab alia parte ea suspicione confirmantur, cui ex iis, quae de sepulcris „caricis" disseruerunt Paton et Myres deductae, supra confidere non audebamus. Sin vero Leleges Ceum primi habitaverunt, iis quoque assignandum esse sepulcrum Carthaeae inventum veri simile iam videtur. Praeterea eos una cum Cares etiam a Callimacho commemorari tenendum est; vss. 60—62. cf. p. 7, 11, 13.

Herodotus [1]), Thucydides [2]), Bacchylides [3]), Callimachus [4]) confirmant. Quod quoniam tot ac talibus testimoniis confirmatur vix iam addubitari potest; iam quonam ordine Leleges, Cares, Cretes inter se successerint, nunc erit constituendum. Ex Herodoti verbis, quae supra allata sunt, haec efficiuntur. Cares secundum eam, quam antiquissimam *ἀκοῇ* indagare scriptor poterat, traditionem Minois imperio parebant in rebus bellicis [5]), ceteroquin liberi; socii erant non subacti homines [6]). Cui rerum statui locus non datur, nisi cum vetus quadam gens, valida nec tamen ad omnem suam potentiam vindicandam idoneis viribus praedita, novi crescentis imperii impetus non prorsus sustinere valet. Hanc Cretum, illam Carum condicionem esse in Herodoti narratione, luce clarius est idemque Carum imperium Cretibus in mari Aegaeo praecessisse probat.

De Cretibus quoque egit Thucydides l. 1, c. 4: *Μίνως γὰρ παλαίτατος ὧν ἀκοῇ ἴσμεν ναυτικὸν ἐκτήσατο καὶ τῆς νῦν Ἑλληνικῆς θαλάσσης ἐπὶ πλεῖστον ἐκράτησε καὶ τῶν Κυκλάδων νήσων ἦρξέ τε καὶ τοὺς ἑαυτοῦ παῖδας ἡγεμόνας ἐγκαταστήσας· τό τε λῃστικόν, ὡς εἰκὸς καθῄρει ἐκ τῆς θαλάσσης ἐφ' ὅσον ἐδύνατο τοῦ τὰς προσόδους μᾶλλον ἰέναι αὐτῷ.* Quae si quis

---

1) I 171.

2) I, IV et VIII.

3) C. I.

4) Ac. en Cyd. v.

5) . . οἱ δὲ ὅκως Μίνως δέοιτο, ἐπλήρουν οἱ τὰς νέας.

6) . . . φόρον μὲν οὐδένα ὑποτελέοντες. Κατήκοοι quidem Cretici regis audiunt, sed societatis, quae per vim Caribus haud dubie imposita erat, nomine rectius eorum condicio designari mihi videtur. Subacti enim hominis est tributa solvere, id quod de Caribus non postulari diserte perhibet scriptor, sociorum autem vacare tributis sed quae ad bellum necessaria sunt, suppeditare.

considerat, ab Herodoto distare facile, opinor, perspiciet. Societati enim, quamvis coactae, in eo rerum statu, quem Thucydides describit, locus iam non est; domini partes in mari Aegaeo Minos[1]) agit, iam nihil de Carum libertate deve eorum ἀτελείᾳ accipimus. Immo, tributa tuendi causa piratas (Cares?), quantum poterat, Minos e mari, quod postea Graecum appellabatur, expellebat coloniasque Cretenses, quibus filios suos praefecerat, in insulas deduci iubebat perpetuas. Discrimen profecto satis magnum est, quod, si Herodoti auctoritas Thucydidi sit opponenda, haud facile explicetur. Neque mihi verum tetigisse videtur Pridik[2]) a Thucydide vetustius illud testimonium corrigi ratus. Non enim diversae opiniones hic sunt inveniendae, quae ad idem pertineant, sed Thucydides exitum eius aetatis spectare videtur, quam Herodotus descripserat. Nam apud hunc de crescenti adhuc Cretum imperio nonnulla discimus, Thucydides autem de summae eiusdem potentiae temporibus agit[3]).

Diodoro auctore Cyclades omni cultura vacuas occupaverunt Cretes[4]).

Eadem est insulae condicio in Bacchylidis carmine

---

[1]) Num quo iure in historia Minois nomine uti liceat, quidve in eius persona mythis sit ascribendum, constituere hic non conabimur. Regis tantum non fabulosi nomen, quandocunque apud antiquos legitur nos quoque adhibemus, ita tamen ut Minoem dicentes nonnisi Cretes in universum intellegamus.

[2]) De Cei insulae rebus p. 12.

[3]) cf. p. 44.

[4]) V 84. τῶν . . Κυκλάδων νήσων τὸ παλαιὸν ἐρήμων οὐσῶν Μίνως ὁ Διὸς καὶ Εὐρώπης βασιλεύων τῆς Κρήτης καί μεγάλας δυνάμεις ἔχων πεζάς τε καὶ ναυτικάς, ἐθαλαττοκράτει καὶ πολλάς αποικίας ἐξαπέστειλεν ἐκ τῆς Κρήτης, τῶν δὲ Κυκλάδων νήσων τὰς πλείους κατῴκισε καὶ τοῖς λαοῖς κατεκληρούχησεν, οὐκ ολίγην δὲ καὶ τῆς Ἀσίας τῆς παραθαλαττίου κατέσχε.

primo, de quo, cum supra in universum egerimus,[1] nunc pauca tantum dicenda restant. Magnopere quidem fragmenti mutila condicico disquisitionem impedit, ita ut certi vix quidquam stabiliri possit. Attamen suspicari licet eam partem, qua Cretae Ceique commercia laudaverit poetae, tantum non integram ad nos pervenisse. Versus enim, qui Minois adventum nuntiant, incipientis, quibus Euxantius laudatur, exeuntis historiae speciem prae se ferunt, nec ceteroquin fragmentum Cretenses homines ullo modo respicere videtur.

Quae a Bacchylide discimus, ea optime conveniunt cum iis, quae supra e Thucydide et Herodoto constituimus[2]. Hic autem, quippe cui rerum decursum cognovisse praecipue interesset, statum descripsit, poetae casu potius opus erat, factoque forti, unde laudes peterentur. Ita factum est, ut mythicis formis enarraret, quomodo ortae eae condiciones essent, quas rerum scriptor exposuit. Minos magna vi Ceum occupasse a Bacchylide dicitur, deinde *Διὸς Εὐκλείου δὲ ἕκατι βαθύζωνον κόραν Δεξιθέαν δάμασεν*, cui rediturus in felicem insulam suam classis dimidium praesidio reliquit. Illa *ἐν δεκάτῳ μηνὶ γεῖνατ' Εὐξάντιον φερεκυδεῖ νάσῳ . . . . πρύτανιν*. Haec omnia tantopere cum Thucydide [2]) concinunt, ut eidem traditioni, quae de his rebus Cei vigebat, utrumque scriptorem suum in modum patrocinatum esse appareat. Quae cum ita sint, facile huic suspicioni indulgeas, magna Cretensium victoria laudata Bacchylidem per nymphae victorisque regis matrimonium intimam inter utramque insulam necessitudinem, posthac exortam, significare. Neque inepte versui nuper allato, qui Euxan-

---

1) cf. p 20 sqq.

2) cf. p. 42 sqq.

tium laudat, apponitur Thucydidis illud: *τοὺς ἑαυτοῦ παῖδας ἐγκαταστήσας κτλ.* Quid autem de eiusmodi rebus iudicari oporteat, supra expositum legitur.[1])

Ad Cretum res cognoscendas a Callimacho nihil omnino offerri iam vidimus, Carum Lelegumque in locum statim in illius carmine Graeci succedunt[2]). Ii vero quomodo Cycladibus potiti sint Herodotus enarravit: . . *μετὰ δὲ τοὺς Κᾶρας χρόνῳ ὕστερον πολλῷ Δωριέες τε καὶ Ἴωνες ἐξανέστησαν ἐκ τῶν νήσων*[3]). Quae verba si ita interpretari licet, ut, cum Cretae potentia deminuta gradatim Cares regiones antea amissas denuo occuparent, tam prospere iis res cesserunt, ut insulas graecas iterum imperio suo subiectas satis diu teneerent, donec invicem, eos, qui Cretes reppulerant, eadem manerent fata.

Quae in hoc capite investigata sunt cum considero, haec mihi docere videntur. Communis Cycladum sortis Ceus nequaquam expers facta est. Quae gentes ex Asia in Graeciam traniisse constat, eas Cei quoque vestigia sua reliquisse vidimus, insulamque satis diu ab iis esse incultam ea nomina testantur locorum, quae ex asiaticis linguis oriunda sunt. Florentibus rebus suis Ceo deinde Cretes potiti sunt, quorum dominium quamdiu duraverit constitui omnino nequit. Brevissimam non fuisse eorum dominationem arguit fabula de Dexithea ceterum ex iis, quae tradunt rerum scriptores perspicuum est Cretum imperium, deminuta potentia, insularum possessione cessisse asiaticis gentibus, in quas ob cladem olim acceptam acerrimo odio quaecumque occasio ad

---

1) cf. p. 44.

2) vss. 58—62 cf. p. 7 et 13.

3) I. 171.

Minois rebus nocendum apta videbatur, ea usos esse ratio fert.

Phoenicum commercia obscuritate teguntur.

Haec si in mythis investigandis adhibebimus, Lelegum Carum, Cretum vestigia inventum iri sperare possumus atque propter ea mythos licebit hoc eodem ordine disponere, cum vetustissimi ducendi erunt, qui ad Leleges Caresque pertineant, aetate proximi, quibus Cretum memoria servatur — nisi forte illa ascribere praestabit secundae Caricae dominationis temporibus. Sed admodum verendum est, ut res tantae antiquitatis tam accurate dignoscere liceat.

# CAPUT III.

## DE CEI MYTHIS ANTIQUISSIMIS.

### § I. *De eis fabulis, quae Telchinum, Demonactis, Macelus, Dexitheae fata cum Ceo insula coniungunt.*

Callimachi consilio in praefatione adstipulatos iam statim ea, quae prima de rebus mythicis tota agit, paragraphus ab ordine, quem is proposuit, deducet. Nam Coryciarum nympharum fabulae Telchines praemitti melius videtur, quoniam — quatenus in rebus tam nebulosis chronologiae ratio haberi potest — maioris antiquitatis indicia quaedam in mythis de Telchinibus deprehenduntur.

Telchinum nomen antiquitus iam tanto fabularum numero exornatum erat, ut Strabo *τὸ πολύμυθον αυτῶν* conqueri cogeretur [1]). Quae nobis ab antiquis scriptoribus servata sunt de ambiguo hoc daemonum genere, ea in tres partes dividi licet, e quibus una eademque maxima Strabonis [2]), Diodori [3]), Eustathii [4]) testimonia complectens

---

1) XIV. 2. 7. p. 654.

2) X. 7 p. 466, 9. p. 472 XIV 7 p. 654.

3) V. 55.

4) ad Hom. Il. IX p. 525 p. 771 cf 1390. 60.

ad Rhodum pertinet atque ea commercia illustrat, quae inter eam insulam Cyprumque et Cretam fuisse traduntur [1]).

Haec omnia utpote notissima breviter commemorare licebit. Commemoranda tamen erant, quandoquidem — quod idem valet de Herae, Athenae, Appollinis cognomine „Telchinio" [2]) — saepe ad ea referri necesse erit, cum ad Telchinum naturam atque originem illustrandam utiliora praebeant quam fabula, quae tertio loco nominanda est. In qua, cum loci nulla mentio facta esset, daemonum nomen coniecturae haetenus debebatur, nunc vero a Callimacho e Xenomedis auctoritate Ceo insulae assignatur.

Haec quae referat, primum videamus. [3]) Apud Nonnum legimus:

*Ζῆνα καὶ Ἀπόλλωνα μιῇ ξείνισσε Μακελλώ*

. . . . . . . . . . . . . . . .

---

[1]) cf. Nic. Dam. XXXVIII, 56 (F. H. G. III p. 459) *Τελχῖνες ἄνθρωποι ὀνομαζόμενοι τὸ ἀρχαῖον Κρῆτες, οἰκήσαντες δὲ καὶ ἐν Κύπρῳ, μεταναστάντες δ' εἰς Ῥόδον καὶ πρῶτοι τὴν νῆσον κατασχόντες, βάσκανοί τε σφόδρα ἦσαν καὶ φθονεροί· τεχνῖται δ' ὄντες, καὶ τὰ τῶν προτέρων ἔργα μιμησάμενοι Ἀθηνᾶς Τελχινίας ἄγαλμα πρῶτοι ἱδρύσαντο ὥσπερ εἴ τις λέγοι Ἀθηνᾶς βασκάνου.*

[2]) Teumessi, Boeotiae in urbe Athenae Telchiniae cultus erat (Paus. IX, 10, 1. Gruppe 61⁴, 125) Heram Telchiniam Philo venerabatur (Diod. V, 55 Gruppe 267), at Rhodios cultus nunc praetereo. De Apolline Telchinio cf Gruppe 1230⁴. Sicyon urbs tota Telchinia audiebat Steph. Byz. 569, 4.

[3]) Huius mythi, (de quo vid. etiam Tumpel in Roscheri Lex. Myth. s. v. Makello et Pauly-Wissowa IV, 2053 s. v. Damnameneus) elementa, quaequae tunc temporis nota erant, iam diu ante collegit E. Rohde in libro, qui inscribitur „Der griechische Roman und seine Vorläufer" 1876 p 507². Eius rationes in hac re maiore ex parte secutus, vix opus est, ut notem quae singula ei debita sint.

*καὶ Φλεγύας ὅτε πάντας ἀνερρίζωσε θαλάσσῃ*
*νῆσον ὅλην τριόδοντι διαρρήξας Ἐνοσίχθων,*
*ἀμφοτέρας ἐφύλαξε καὶ οὐ πρήνιξε τριαίνῃ.* [1])

Quae si comparantur cum Callimachi versibus 64-69.

*ἐν δ᾽ ὕβριν θάνατόν τε κεραύνιον, ἐν δὲ γόητας*
*Τελχῖνας, μακάρων τ᾽ οὐκ ἀλέγοντα θεῶν*
*ηλεὰ Δημώνακτα γέρων ἐνεθήκατο δέλτ[οις]*
*καὶ γρηῦν Μακελώ, μητέρα Δεξιθέης,*
*ἃς μούνας ὅτε νῆσον ἀνέτρεπον εἵνεκ᾽ ἀλ[ι]τ[ρῆς]*
*ὕβριος ἀσκηθεῖς ἔλλιπον ἀθάνατοι.*

utrumque scriptorem eandem historiam enarrare apparet. Demonax quidem Dexitheaque apud Nonnum non inveniuntur, sed fieri potest, ut qui periit versus 36 eorum fata memoraverit. Praeterea scelestae gentis pernicies apud Callimachum nullum certum auctorem habet, quamquam *θάνατος κεραύνιος*, quae verba ad eandem calamitatem referenda esse atque vss. 68-69 probabile duco, Iovi hoc munus tribuere videntur. Apud Nonnum vero Neptunus vindicis munere fungitur; ii autem, qui puniuntur, non Telchines audiunt sed Phlegyae. Sed huius loci, quem nihili faciendum censet von Wilamowitz [2]) saltem non magna est auctoritas neque leviter agere mihi videtur si quis fabulas duas contaminatas esse suspicetur. Auxilio arcessendum est etiam scholion ad Ovidii Ibin [3]): „Nicander dicit Macelon filiam

---

1) Nonn. Dion. XVIII 35 sqq. Supra data est codicum lectio, quam iniuria ab Arminio Koechly (cf praef. ad ed. I p LXXV) mutatam esse demonstravit Rohde; Koechly pro *Μακελλώ* scripsit *τραπέζῃ*; nomen loco vindicavit Rohde, cuius iudicium nunc confirmat Callimachus (vs. 67).

2) G. G. N. 1896 p 244 n. 1.

3) Schol. Ov. Ib. 472.

Damonis cum . . . . . [1]) sororibus fuisse Harum hospitio Iuppiter susceptus, cum Thelonios, quorum hic Damo princeps erat, corrumpentes venenis successus omnium fructuum fulmine interficeret, servavit eas. Sed Macelo cum viro propter viri nequitiam periit." Quinam illi sint Thelonii Rohde perspexit: fatorum intima similitudo [2]) vocem ceteroquin ignotam e Telchinum nomine corruptum esse demonstrat. Quo igitur suum in locum restituto usque ad extremam sententiam cum Callimacho scholion optime convenit nam Damonem Theloniorum — Telchinum — principem alium non esse atque Demonacta censuit Hunt [3]), qui argumentum ex ea quoque re quaesivit quod etiam tertium nomen eidem personae inditur:

---

[1]) Rohde l.l. sororum numerum (II vel III) supplet, sed mihi plura intercidisse sententiae structura evincere videtur.

[2]) Apud Nonnum XIV. 56 Telchines (Rhodii) Stygia aqua segetem corrumpunt, quam ob rem a Jove interficiuntur cf. Ov. Met. VII 365 sqq):

. . . Ialusios Telchines
Quorum oculos ipso vitiantes omnia visu
Juppiter exosus fraternis subdidit undis.

Appollinis sagittis intereunt apud Serv. ad Verg Aen. VI. 377.

[3]) Oxyrh. Pap VII. 7 p 67 in notis ad vs. 64 – 69. Nominis huius diversa extant vestigia. Demonassa enim variorum heroum mater ferebatur (cf. Rosch. Lex. Myth. s.v.), e quibus Glaucum citare operae pretium est (cf. Schol Il VI. 206), quippe qui nomen matris in Lyciam releget. Usque in historica tempora Spartae Demoractes erant, si revera in notissima inscriptione (I. G. A. 79) *ΔΑΜΟΝΩΝ* hypocoristicum significat nominis *Δαμῶναξ*. Sed hoc dubium est admodum, nam fieri optime potest, ut duplici ν legendum sit *Δαμόννων*, qua voce hypocoristice *Δαμονικος* indicari censet A. Fick. Bezz. Beitr. III 1879. 123.

Nonn. XIV 35:

*καὶ φθονεροὶ Τελχῖνες ἐπήλυδες εἰς μόθον Ἰνδῶν*

*Δαμναμενεύς*, [1]) ab eadem radice derivatum. Apparet igitur inter scriptores antiquos haud magis quam de Telchinibus ipsis constitisse de principe eorum. Attamen commune elementum omnia ea nomina habent; videtur itaque variis figuris subesse una eademque persona, quae, cum aliquamdiu intermortua fuisset, denuo, aetata nimirum alexandrina, animos eruditorum in se converterit. Ceterum et scholion Ovidianum et Callimachus hactenus consentiunt, quod Phlegyarum loco Telchines, pro Poseidone, *θάνατον κεραύνιον*, itaque Iovem [2]) exhibent. Accedit, quod Phlegyae similem in modum a Iove vel ab Appolline interfecti dicuntur ab Euphorione [3]), sed unus in insulam Nonnus transtulit eam historiam, Graeciae mediae ceteroquin propriam. Quod cum

---

[1]) *ἐκ βυθίου κενεῶνος αολλίζοντο θαλάσσης·*
— — — — — — — — — — —
*ἦλθε Λύκος, καὶ Σκέλμις ἐφέσπετο Δαμναμενῆι*
*πατριον ἰθύνων Ποσιδηιον αρμα θαλασσης.*
cf. Hunt l. l. Rohde l. l.

[2]) Eustath. p. 771. 50. *κατομβρηθέντες ὑπὸ τοῦ Διός ἢ κατατοξευθέντες ὑπ' Ἀπόλλωνος ὤλοντο* cf. Lobeck Aglaoph. I p 1200.

Lact. Arg. Fab X: „Telchinas Juppiter propter odium coniugis suae Junonis subiecit mari". Ovidii locum, qui huc facit, p. 52. n. 2. exhibet

Itaque etiam in rhodiaca fabula Jovi vindiciae tribuuntur, ita tamen ut poenas transferat in fraternum regnum. Suntne fortasse duae traditiones in hunc modum contaminatae? cf. Lobeck Aglaoph II 1188.

[3]) Euphor. fr. 155 o. 154 (Meineke) Serv. ad. Verg. Aen. 618: Hi (sc. Phlegyae) secundum Euphorionem populi insulani fuerunt, satis in deos impii et sacrilegi: unde iratus Neptunus percussit tridenti eam partem insulae, quam Phlegyae tenebant et omnes obruit.

Huius mythi unicum testem extare Euphorionem adnotavit Rohde l. l.

praeterea recentius sit testimonium, argumentorum copia et auctoritas sufficere mihi videntur, ut Phlegyae et Poseidon in Nonni narratione seponantur a ceteris rebus, quippe alteri fonti, fortasse cum Erwinio Rhode Euphorioni, attribuendi.

Postquam Telchinas in nostra quidem fabula cum Damone principe Iovis fulminibus periisse constituimus, nunc, quid rei iis fuerit cum Dexithea matreque eius Macelo quaerere oportet. Scholion supra exscriptum mire omnia conturbare videtur. In priore enim parte Damonis filia audit Macelo, mariti nulla mentione facta, ultima sententia eam „rapidis ictam cum coniuge flammis" exhibet, ad versum sane Ovidianum se applicans. Quicum si quis comparat Callimachi illud:

*. . . Τελχῖνας, μακάρων τ' οὐκ ἀλέγοντα θεῶν*
*ἠλεὰ Δημώνακτα γέρων ἐνεθήκατο δέλτοις*
*καὶ γρηῦν Μακελὼ μητέρα Δεξιθέης, κτλ.*

dubitare, opinor, non potest quin coniunx ille Macelus fuerit Demonax. Huic enim quae Callimachus obicit, eadem versu Ovidiano significantur atque a scholiasta in coniugem Macelus pronuntiantur. Ceterum Macelus patrem dici Damonem cognovimus in scholio illo. Itaque aut distinguendus est ab eo Demonax maritus, aut accipienda erit explicatio, quae a viro docto Hunt proposita est [1]) duobus nominibus, vel potius eiusdem nominis formis, breviore altera, altera amplificata eundem virum designari Haec mihi opinio veri similior videtur, cum praesertim scholii non ea sit auctoritas, contra quam suspicionibus locum dare non liceat, nam alia in re manifesto vitio laborat, nisi forte in ea quoque alteri traditioni patrocinatum esse scholiastam velis.

---

[1]) l. l. p. 130.

Secunda enim sententia Juppiter eas mulieres ex universa calamitate servasse dicitur, quarum hospitio susceptus erat. Macelo hoc munus deo praestitisse Nonnus, eandem cum filia solas *θάνατον κεραύνιον* effugisse Callimachus docet. Quae duo cum optime inter se conveniunt, Nicander contra, cuius sententia Ovidio placuit, ceteris mulieribus a Iove temperatum, de Macelo propter viri nequitiam immerito poenas sumptas esse vult. Ergo de his rebus inter viros doctos Alexandrinos dissensio fuit. Neque hoc ullo modo mirum esse potest, si verum tetigit Erwinii Rohde opinio: „Makello ist eine freilich sehr obscure Gestalt gelehrter hellenistischer Dichtung" [1]). Nam si revera iis temporibus Macelus figura nulla antiqua fabula incitante — neque ulla vestigia Callimachum aetate superant — e poetarum mythologorumque studiis prodiit, docta nimirum aemulatio postulavit, ut alius alia proferret, nullius fontis auctoritate ingeniorum liberum lusum compescente. Quantas ita iam inter Callimachi Nicandrique aetates mythus mutationes perpessus esse potest! Non ipsa Nicandri verba nobis servata sunt; sententiae autem, qua Macelus mors refertur, structura satis mira est, abundante voce „viri" cum ceteroquin scholion dilucido contextu atque simplici excellat. Itaque fieri sane possit, ut vitiatus locus sit, ac revera Nicandri narratio cum Callimachea conveniat, Macelus autem interitus aut Ovidii inventioni aut alii huius poetae auctori debeatur. Scholio quidem ita auctoritas adempta

---

[1]) l. l. p 506[2]. Hoc autem tenere oportet: Callimachus in ipsis his rebus enarrandis iterum Xenomedis auctoritatem appellat. Ergo fieri potest, ut multo vetustior sit Macelus historia, quam Rohde voluit. Quod si ita est, Callimachus, quod de Coryciis nymphis valere supra demonstratum est, figuram aetate oppressam ex oblivione protraxisse mihi videtur.

erit, restat autem Ovidius ipse, quem fidelem Nicandri sectatorem ab illius opinione deflexisse haud facile mihi persuadeo, cum praesertim, si ita esset, non solum illius sed etiam Callimachi auctoritati suam rerum versionem opposuisset. Ergo relinquenda sub iudice lis est; etenim quemadmodum contrariae sententiae concinnari vel altera reiici possit, diiudicare documenta nobis non permittunt.

*Ἀμφοτέρας*, quae pias se praestiterant, mulieres Iovem interitu exemisse Nonnus docet, nomina apud Callimachum leguntur: Macelo filiaque Dexithea. Eae igitur Iovem hospitio receperunt (Apollinemque), dum Telchines Damone sive Demonacte duce *ἀλιτρὴν ὕβριν* committebant agros nimirum stygia aqua conspergentes. Eorum de poena cum Callimacho facit Nicander *θανάτῳ κεραυνίῳ* Telchinas periisse ratus. [1])

Dexitheae nomen cum Macelo intima Callimachus familiaritate connexuit, Bacchylides, a quo illam cum Cretae rege copulari vidimus [2]), neque matris neque daemonum scelestae familiae mentionem fecit; daemones vero illos in carmine laudatorio taceri admodum mirum non est.

Telchinum scelus atque interitus facile eam calamitatem in mentem revocant, qua Plinius cum Euboea atque ceteris Cycladibus Ceum affectam esse perhibet [3]).

[1]) Quae Nonnus de Telchinum interitu dixit, supra a Cea fabula abiiudicavimus; nata ea procul dubio sunt ex insulae Rhodi historiis, ubi Telchines in Neptuni dicione erant.

[2]) cf. p. 20

[3]) N. H. IV, 12. 6: „Ceos . . . , quam nostri quidam dixere Ceam, Graeci et Hydrussam; avolsa Euboea quingentos longa stadios fuit quondam; mox quattuor fere partibus, quae ad Boeotiam vergebant eodem mari devoratis, oppida habet reliqua Iulida, Carthaeam, interiere Coressus Poeessa". Quemadmodum Cei partes ad Boeotiam vergere potuerint, me quidem fugit. Deinde non cum Euboea sed cum

Fluctum, quem Plinius descripsit, talem fuisse, quales una cum terrae motibus accidere solent, optime ii perspexerunt, qui de Cea calamitate egerunt. Telchinum supplicium ad eundem similemve casum quodammodo referri posse, quis est qui negabit? Ad terrae motum optime se applicant Callimachi verba .... ὅτε νῆσον ἀνέτρεπον κτλ (vs. 68), sed ultra suspicandi fines talia producere non licet. Ingenii lusui tali libentius indulgemus, prout magis in rebus fabulosis historiae, ut ita dicam, politicae vel naturalis memoriam inveniendam putamus [1]). De Plinii narratione hoc modo monere velim: si revera ad nostram fabulam quodammodo facit calamitas illa, terrae motus, qui scriptoris verbis significatur, chthonicam daemonum originem probare poterit, aquarum autem intemperies tali explicationi non necessario obstat, quandoquidem, cum de Nonni versibus agebamus, e fabula, quae quidem ad Ceum pertinet, tollenda nobis visa est.

Quae fabula de Telchinibus, Macelo, Demonacte-Damone vaga olim narrabatur, ea nunc a Callimacho inter Ceas relegatur, in qua re cum eo facit Bacchylides, quippe qui Dexitheam Cei fecerit incolam [2]). Ipsa non

---

Attica Ceum cohaesisse Bursian probavit (Geogr. II, 469). Ad eandem cladem redit Plinius II, 62: „Ex insula Cea amplius XXX milia passuum abrupta subito cum pluribus mortalibus (pontus) rapuit". cf Neumann-Partsch p. 331. Pridik p. 5-6.

1) cf de hac re p. 23.

2) Dexithea a Bacchylide cum Cretae rege celeberrimo coniungitur. Quod utrum ideo tantum fecerit poeta, quo maior gloria in Euxantium atque ita in Ceum Argeumque civem eius redundaret, an forte laudarit, quae toti Telchinum genti cum Creta communia ferebantur, prae fragmenti condicione diiudicare non possumus. Totam fabulam ex iis, quae Bacchylides, Nonnus, Nicander (in scholio ad Ovidii Ibim 472) servarunt, feliciter restituit Galiart. Beiträge zur Mythologie bei Bacchylides. Diss. Freib.

pergravia haec universae quaestioni, quae est de Telchinum patria atque origine, lucis aliquid afferunt [1]. Olim daemones illi Rhodo proprii ducebantur ac Poseidonis satellites [2], cum Telchinii cognominis vestigia in ipsa Graecia obvia ita explicari solerent, ut sive inde Telchines Rhodum [3] sive in utrumque locum ex Creta, [4] interposita a nonnullis insula Cypro, migrassent. Verum omnia alia docent tum ea, quae de nomine investigavit

---

(Helv.) 1910, p. 4. attamen iniuria a Nonno discedens Macedon appellavit, cui nomen revera erat sive *Μακελλώ* (Nonnus) sive *Μακελώ* (Callimachus). Eandem non filiam Damnonis sed *μητέρα Δεξιθέης* a Callimacho vocari nondum innotuit, quo anno Galiarti libellus in lucem prodiit.

[1]) Eorum, qui de Telchinibus (Rhodiis) egerunt, completissimam seriem attulit **van Gelder**. Rhodier p. 44-52.

[2]) Strabo XIV. 7. p. 653. D *Ἐκαλεῖτο δ' ἡ Ῥόδος πρότερον Ὀφιοῦσσα καὶ Σταδία, εἶτα Τελχινὶς ἀπὸ τῶν οἰκησάντων Τελχίνων τὴν νῆσον, οὓς οἱ μὲν βασκάνους φασὶ καὶ γόητας θείῳ καταρρέοντας τὸ τῆς Στυγὸς ὕδωρ ζῴων τε καὶ φυτῶν ὀλέθρου χάριν, οἱ δὲ τέχναις διαφέροντας τοὐναντίον ὑπὸ τῶν ἀντιτέχνων βασκανθῆναι καὶ τῆς δυσφημίας τυχεῖν ταύτης. ἐλθεῖν δ' ἐκ Κρήτης εἰς Κύπρον πρῶτον, εἶτ' εἰς Ῥόδον, πρώτους δ' ἐργάσασθαι σίδηρόν τε καὶ χαλκόν, καὶ δὴ καὶ τὴν ἅρπην τῷ Κρόνῳ δημιουργῆσαι. εἴρηται μὲν οὖν καὶ πρότερον* X 7. p. 760 *περὶ αὐτῶν, ἀλλὰ ποιεῖ τὸ πολύμυθον ἀναλαμβάνειν πάλιν ἀναπληροῦντα, εἴ τι παρελίπομεν.* cf Diod V. 55, qui Telchines *Θαλάττης* filios facit Rheamque iis Poseidona educandum commisisse refert. Nonn. Dion. XIV, 36. sqq. Ov. Met. VII, 395 sqq. Hes. s. v. *Ἴγνητες·* .. *οἱ μετὰ τοῦ Τελχῖνος ἐποικήσαντες τὴν Ῥόδον* cf Hes. v *Μύλας*. v. Gelder l. l. p. 46, 49, 53. Preller-Robert I, 605. Gruppe p. 265, 1005 [3]. 1307 [7].

[3]) cf Gruppe 265, 267.

[4]) Telchines Creta oriundos dicunt Strabo XIV 7. 654 (cf nota 2) Nic. Dam. apud Stobaeum Serm. XXXVIII 225 cf Lobeck Aglaoph. 1188. Stat. Silv. IV, 6, Cypro Pausanias IX, 10: *καὶ Ἀθηνᾶς ἐν Τευμησσῷ Τελχινίας ἐστὶν ἱερὸν ἄγαλμα οὐκ ἔχον· ἐς δὲ τὴν ἐπίκλησιν αὐτῆς ἔστιν εἰκάζειν ὡς τῶν ἐν Κύπρῳ ποτὲ οἰκησάντων Τελχίνων ἀφικομένη μοῖρα ἐς Βοιωτοὺς ἱερὸν ἱδρύσατο Ἀθηνᾶς Τελχινίας,* cf Gruppe p. 61, 257.

W. Prellwitz [1]), ab uno, quod sciam, v. cl. de Wilamowitz [2]) iusto pretio aestimata, cum id, quod Ceo quoque sui fuerunt Telchines. Hoc quorsum perducat primum videamus.

Ecce, daemones olim in una insula noti, quorum vagi rumores huc illuc exisse putabantur, nunc alibi quoque sedes suos nacti sunt, iidem sane eademque malefica natura praediti, sed aliis hic, illic aliis religionibus involuti. Ergo Telchines non ex natura sua ad Poseidonis Iovisve cultum pertinuerunt sed, quod idem suadet summa, ut videtur, eorum antiquitas, iam antequam illa numina exstiterunt i. e. priusquam Graeci mari Aegaeo insulisque potiti sunt, Telchinum in iis regionibus fuit veneratio. Graeci vero, quos invenerunt deos, suae religioni adaptarunt et prout variae condiciones, quae investigandae nobis iam non sunt, Poseidonis Iovisve vel Athenae Heraeve cultui magis favebant, Telchines in eas fabulas, quae vel ad hunc vel ad illum deum pertinebant, recepti sunt. Cum Graecorum magis magisque cresceret potentia, quidquid ii attulerunt novi, id etiam in religione vetera multa oppressisse, cum a prioribus incolis subactis reciperetur, consentaneum est et variorum heroum daemonumque fatis comprobatur. Ita de Telchinibus quoque factum esse mihi facile persuadeo atque tum optime se habet id, quod in ipsa Graecia nonnisi in cognominibus eorum memoria servatur, in insulis autem, quippe quibus postea potiti sint Graeci, plura atque, ut ita dicam, vividiora vestigia aetatem tulerunt.

Sed haec omnia pendent e mythorum aetate. Ergo maximi interest ut diiudicetur, utrum iure Telchinum

---

1) Bezz. Beitr. XV. 1889. p. 148-154.

2) Cum enim Telchinibus nomen inderet „die Erzleute" (G. G. N. 1895 p. 244) von Wilamowitz viro docto Prellwitz, quamquam huius nomen ab illo non citatur, assensus esse videtur.

antiquitatem Van Gelder[1]) addubitaverit necne. Tribus argumentis in contrariam opinionem equidem perducor.

Ex quo tempore Van Gelder scribebat: „ . . . schwankend und ungreifbar sind und bleiben diese alten Telchinengestalten. Oder vielmehr alt sind sie warscheinlich nicht; vor ± 270 erwähnt sie niemand,"[2]) res haud parum mutatae sunt. Minus sane ambiguae Telchinum figurae factae non sunt, sed crevit testimoniorum series antiquitatem comprobantium. Xenomedis enim, quem quinto ante Christum natum saeculo vixisse suspicati sumus[3]), commentariis Callimachus usus est, qui fons doctis hominum alexandrinorum studiis turbari nondum potuit, quam ob rem versibus Callimacheis satis tuto confidere licet; quam fidem non necessario diminuit, quod inter „doctas poetas" Callimachus recenseri solet. Non enim nova excogitare malebant ei, quam investigare antiqua, e publica religione evanida vel fortasse numquam in eam recepta, quae tamen inter inferiorem plebem florere numquam desierant. Quod prae ceteris valere de Callimacho iam vidimus[4]).

Teste locupletissimo uteremur Stesichoro, si de eius fragmento satis constaret. Plerique viri docti[5]) in Eustathii verbis: *Στησίχορος δὲ καί, φασί, κῆρας καὶ σκοτώσεις Τελχῖνας καλεῖ καὶ τοῦτο οὐ μόνον περὶ τῶν Τελχίνων ἀλλὰ καὶ τῶν Κουρήτων κρητικῶν καὶ αἰτωλικῶν*[6]) vocem Telchin adiectivi loco adhibitam censent. Contra eam opinionem Wilamowitzii iudicio adstipulor: »Sterichoros hat jedenfalls die Gleichsetzung mit den Keren per-

---

[1]) Rhodier p. 47.

[2]) Rhodiër p. 47.

[3]) p. 8.

[4]) p. 15.

[5]) cf. v. Gelder, Rhodiër p. 44.

[6]) Stesich. fr. 93 (82) Bergk P. L. G. III[4]. 232 Eust. p. 517 4

sönlich gemeint" [1]), a quo tamen hactenus dissentio, quod „κῆρες" propter additamentum καὶ σκωτώσεις ab Eustathio nominis loco proprii positum non credo: mire se haberet altera comparationis pars, si adiectivo et nomine proprio constaret. At haec omnia pendent ex Eustathii loci Stesichorei interpretatione ita ut certi nihil constitui possit [2]).

Testimonia igitur Xenomede antiquiora non exstant fide omnino digna. At ipsum τὸ πολύμυθον illud atque etiam Telchinia cognomina, magnis dis indita, antiquum et parum iam intellectum mythum testare videntur atque inter varias fabulas sunt quae Telchines Olympiis deis fingunt aetate superiores. Praesertim hoc valet de Poseidonis tutela, Telchinibus a Rhea mandata [3]).

Telchinum fabulis cum magnam antiquitatem attribuendam esse iam propter haec argumenta putemus, eodem confidentius etiam inclinabimur perpensis iis, quae W. Prellwitz [4]) e nominis investigatione eruit. Breviter eius ratiocinatio exponenda mihi videtur. Postquam contra O. Schraderum [5]) vocabulum litavicum geležìs e Graecorum χαλκός natam non esse demonstravit Prellwitz, balticis, qui dicuntur, sermonibus communem radicem gelż = indogermanice g^u^helgh animadvertit, cuius pleniorem formam exhibet litavica radix geleż, at „die schwächste form des indogermanischen stam-

---

1) G. G. N. 1895 p. 245.

2) Eustathius fortasse ne vidit quidem ipse locum si vox „φασί" ullius est momenti ducenda.

3) Diod. V. 55. 1 Qui solus Telchinibus Rheam opposuit locus Schol. Ap. Rh. I. 1141 Ἀνταίη· ἡ Ῥέα οὕτω λέγεται, διότι ἐναντία τοῖς Τελχῖσιν ἐγένετο infelici lucubrationi etymologicae debitus videtur. De reliqua scholii parte cf. v. Gelder. Rhodier p. 51.

4) Bezz. Beitr. XV 1889, p. 148.

5) Sprachvergleichung und Urgeschichte p. 232.

mes g^u^helgh, welche bei betonter endung enstand lautete g^u^hlgh und hierauf geht griechisch *χαλκός* zurück." Paulo post de pleniore forma indogermana g^u^helgh ita pergit Prellwitz: „dieselbe musste gh vor e lautgesetzlich palatalisiren und im griechischen musste aus g^u^h *θ* werden. Ausserdem konnten die beiden aspiraten nicht neben einander bestehen. Blieb *θ*(*χ*), so musste gh (*χ*) zu *γ* oder *κ* werden (*χαλκός*), erhielt sich die zweite aspirata *χ*, so musste am anfang aus *θ* ein *τ* (*δ*) werden: es lassen sich als lautgesetzliche entsprechungen zu balt. gelz- *τελχ*- und *θελγ*- constituiren und es liegt nahe diese formen in dem namen der *Τελχῖνες* oder *Θελγῖνες* wieder zu erkennen."

Iam acta esset res, si argumenta ex linguarum scientia petita plane sufficerent. Sed quidquid pro lege constituitur, nascitur e doctis cogitationibus, quibus ansam praebuerunt mutationes, quas sonus permeasse creduntur. Harum autem eventus manifesti *προκεῖνται*, ipsi documentorum loco illas illustrant ideoque num revera ita exstiterint, ut nostra ratio postulat, etsi vix quisquam id addubitabit, tamen prorsus pro certo constitui nequit. Sed propius in hanc regionem procedit Prellwitz [1]) cum alia Telchinum nomina, *Λύκον* [2]) et *Μύλαν* [3]) idque quod con-

---

[1]) l. l. 152-153.

[2]) Nonnus XVI 38. Nomen explanat Hes. s. v. *Λύκος· τὸ τοῦ Ἴρεως* (Prellwitz p. 153 pro *ἴρω;* Palmer. *ἱέρεως* codd.) *ἄνθος καὶ ποιὸς ἰχθὺς καὶ τὸ ἐν τοῖς χαλινοῖς σίδηρον* (Prellwitz pro: *σιδήριον*) *καὶ ὁ ἅρπαξ τῶν εἰς τὰ φρέατα καδίσκων καὶ ὁ τῆς θύρας μάνδαλος. καὶ ἀράχνιόν τι καὶ ὁ εἷς τῶν Τελχίνων καὶ ποταμός* cf. Poll. X. 31 *λύκοι· ἀγκίστρια τοὺς ἐκπεσόντας τῶν κάδων ἐκ τῶν φρεάτων ἀνέσπων* cf VI 88 & X 88.

[3]) Hes. v. *Μύλας· εἷς τῶν Τελχίνων ὃς τὰ ἐν Καμείρῳ ἱερὰ Μυλάντειοι ἱδρύσατο* cf Hes s v. *Μυλάντειοι θεοί· ἐπιμύλιοι* et Steph. Byz. 461. 41 *Μυλάντια ἄκρα ἐν Καμείρῳ τῆς Ῥόδου· Μυλάντειοι θεοὶ [ἐπιμύλιοι]. ἀπὸ Μύλαντος ἀμφότερα τοῦ καὶ πρώτου εὑρόντος ἐν τῷ βίῳ τὴν τοῦ μύλου χρῆσιν*. Molarum usum aetate hellenica esse antiquiorem Prellwitz

iecturae quidem sed veri simillimae debetur *Κόρυθον*,[1]) delecta de compluribus, quae traduntur, ita explicat, ut ex operum ferrariorum tribus generibus, ad vitae cotidianae usum utilissimis, cuique Telchinem unum patrono fuisse censeat: „Die *Τελχῖνες* sind kupferschmiede, *Μύλας*, *Λύκος* und *Κόρυθος* die vertreter dreier wichtiger zweige des älteren schmiedehandwerks: des mühlenbaus, der hausgeräte verfertigung und der waffenschmiedekunst".

Haec omnia si verum tetigerunt — neque video, quid ullo modo obstare possit — optime quadrat in Telchines Wilamowitzii illud „Erzleute". Sed quid antiquae faciemus etymologiae *Τελχῖνες . . . παρὰ τὸ θέλγειν . . . θελγινες τίνες οντες*[2])?

De ea multa dicenda non essent, nisi adhuc pluris fieret, quam digna esse videtur[3]). Artifices, praesertim fabros ferrarios apud omnes gentes mirifici famam circumdedisse nota res est[4]). Atque ratio fert, opinor, ut artifices, quorum labor ea postulabant auxilia, ferri candorem, flammarum miram mutabilemque speciem, quae fertile primorum hominum, ut puerorum, ingenia

---

probavit (p. 153) Schraderum (Sprachvergleichung und Urgeschichte p. 356) secutus.

[1]) Hes. v. *Κόρυθος· εἷς τις τῶν τροχίλων* correxit M. Schmidt: *εἷς τις τῶν Τελχίνων*. Prellwitz l. l. 153.

[2]) Et. M. 751. 46 cf 448. 8 Et. Gud. 257 i. v. *θέλγειν* Suid. v. *θέλγει*.

[3]) Vide Preller-Robert I. 605 : Der name *Τελχῖνες* ist abzuleiten von *θέλγω* in der Bedeutung bezaubern, durch Berührung berücken, daher Stesichoros die Keren und betäubende Schläge welche das Bewustsein verdunkeln *Τελχῖνες* genannt haben soll. (cf. v. Gelder Rhodier p. 48). Quantum a vero distet haec opinio in praecedentibus iam satis apparuit, magis etiam ea, quae sequuntur id demonstrabunt.

[4]) Vid. O. Schrader Sprachvergleichung und Urgeschichte c. III praecipue p. 233.

ad figuras miris viribus praeditas effingendas excitare tantum non debuit, divinis collegis excogitandis exemplo potius fuisse sumamus, quam homines illos ab abstrusa quadam notione magica profectos, eam cum arte utilissima consociasse.

Quod cum ita sit, cum praeterea mythi fere omnes eas Telchinibus partes tribuunt, quas nominis interpretatio, a viro docto Prellwitz proposita, postulat, Telchines pro genere quodam daemonico artis ferrariae patrono habendi mihi videntur. Eos autem per se ad mare non pertinere neque ullis in Poseidona iuribus instructos fuisse tota Telchinum indoles evincit, qua eadem in Aegaeae, quae dicitur, culturae tempora relegantur.

Mythus traditur a Strabone, qui Rheam in Cretam traduxisse Telchines fert, ubi deinde Curetes appellati dicuntur [1]. Hos autem paulo ante scriptor dixerat *καὶ χαλκιδέας.... κληθῆναι*. Ergo eadem officia utrique generi daemonum mandata erant; atque cum res ita se habeat mythum illum ideo creatum esse, ut insignem similitudinem explicaret facile intellegimus. Cretae autem praeter Curetes etiam aliam daemonum familiam fuisse, cui prorsus eadem curae essent, vix probabile duco. Accedit quod Telchinum nomen iis legibus, quae viro docto Prellwitz ad eius originem explicandam perduxerunt, graecae linguae vindicatur, qua certe Cretes quo tempore chthonica daemonologia florebat, aetate dico Minoica, nondum utebantur [2]. Ex illorum finibus igitur Telchines reducendi sunt in insulas graecas.

---

[1]) Strabo X 19 p 472: *οἱ δὲ Τελχῖνον ἐν Ῥόδῳ ἐννέα ὄντας τοὺς Ῥέᾳ συνακολουθήσαντας εἰς Κρήτην καὶ τὸν Δία κουροτροφήσαντας* **Κουρῆτας ὀνομασθῆναι**. cf. Roscheri Lex Myth II. 1. 1619.

[2]) De eiusmodi quaestionibus cf E. Meyer Gesch. d. Alt. I² II §§ 508 sqq et R. Dussaud. Les civilisations préhelléniques dans le

Verum Graecis sunt antiquiores. Ipsi hoc mythi probant deos olympios, Iovem, Poseidona, infantes Telchinum tutelae mandantes, qui intima necessitudine cum Rhea et Crono coniuncti ferebantur. Eodem tendit daemonum chthonica natura Asiaticae Creticaeve „culturae" propria.

Quod si mente tenemus, Telchines praeterea a Curetibus ideoque a Cretensi religione secernentes, cum tamen maxima similitudo inter utrorumque fata et naturam manifesta est, iam nihil restat nisi ut Telchinum Curetumque eandem fuisse originem suspicemur, illosque in insulas septentrionales, in Cretam Curetes translatos esse credamus. Quod si ita est, ratio fert ut utrosque daemones e communi Asiatica religione oriundos censeamus.

Huic opinioni obstare videtur Telchinum nomen quod etsi obsoletum nec facile perspectu tamen unice Graecum est neque ex ulla alia lingua Indogermana derivari potest. Sed factum esse potest optime,ut antiquissimis temporibus, cum primi Graeci futuram patriam occuparent, eos ab Asiatica gente, quam Graeciam quoque tenuisse locorum nomina permulta demonstrant [1]), ferri ignisque patronos illi receperint atque vocabulo (quod tunc magis usitatum forsitan fuerit) Telchines appellaverint. Ita Athenae et ceterorum deorum cognomen Telchinium facile intelligitur. Nam etsi daemones peregrinos colere perseverarunt primi illi Graeci tamen suos ipsorum deos, qui eisdem artibus patrocinarentur, in eorum locum gradatim substituisse consentaneum est, primum consociantes

---

bassin de la mer Egée. Paris 1910, qui recentium studiorum eventus felici ratione in unum corpus composuit. Videatur de lingua et scriptura c. VI §§ 3 et 4.

1) E. Meyer, Gesch. d. Alt. $I^2$ II § 506 p. 683—684.

deinde opprimentes. Haec rerum interpretatio, cum ceteras difficultates solvit, id quoque explanare mihi videtur, quod in ipsa Graecia pauca et debilia tantum Telchinum vestigia inveniuntur, insulae contra, a Graecis multo post continentem terram occupatae, usque in satis recentia tempora vividam eorum memoriam servarunt.

Certi quidem nihil constitui potuit — quis autem in eiusmodi rebus certa se inventurum sperat? Si vero ea, quae de Telchinibus disputata sunt quadamtenus probabilia videntur, hoc certe constat Ceorum hunc mythum iuxta Rhodum Telchinum, qui daemones olim fortasse toti insularum mundo proprii erant, inde ab aetate praehellenica memoriam servare.

## § 3. *De Nymphis Coryciis.*

Ab ea interpretatione, quae mythica omnia e naturae rebus explicare studebat, nostrae aetatis viri docti magnam partem recesserunt [1]). Attamen nympharum descriptionem meliorem quam quae Prellero placuit: „das weit verbreitete, allen Mythologieen, Märchen und Sagen bekannte Geschlecht der zarteren Elementargeister in Bächen und Bäumen, Bergen und Wäldern" [2]) nondum nacti sumus. Haec si vera nympharum natura est, si iis praesertim locis colebantur, quorum fertilitatem amoenitatemque frigidae aquae abundantia magnopere augebat, nusquam aptiores sedes invenire potuerunt quam Cei, quippe quae insula propter ipsa ea longe lateque clara olim esset [3]). Revera nymphis suis insulam

---

[1]) cf. S. Wide in Gercke-Norden. Einleitung in die Altertumswissenschaft II p. 25.

[2]) Preller-Robert I p. 718.

[3]) Testimonia collegerunt Broendsted I. p. 79. Bursian Geogr. II. p. 468 cf. Pridik p. 2.

non caruisse iam diu ex iis versibus notum erat, quibus ut originem Cydippae probet, Acontius patriam laudat:

„Insula, Coryciis quondam celeberrima nymphis,
Cingitur Aegaeo, nomine Cea, mari:
Illa mihi patria est, nec, si generosa probatis
Nomina, despectis arguor ortus avis" [1]).

Quae si comparantur cum iis, quae nunc a Callimacho discimus [2]), frustra virum doctum Buttman raro nomine offensum pro „Coryciis" proposuisse „Carthaeis" apparet [3]). Ut in universum, quae in Acontii Cydippesque epistulis protulit Ovidius, Callimacheae doctrinae debita demonstravit Dilthey [4]), ita nunc singula quoque, inter quae Corycium nomen novisse praecipue nostra interest, eodem fonte fluxisse patet. Altera est adhuc inter utrumque poetam digna, quae amimadvertatur, similitudo. „Quondam" Coryciis nymphis celeberriman Ceum fuisse apud Ovidium [5]) narrat Acontius, ipse e fabulosa antiquitate persona, Xenomedis historia ab iisdem initium sumpsit auctore Callimacho [6]), quae duo ita coniungenda videntur, ut ad vetustissima tempora relegentur quaecumque in Cei rebus ad nymphas nostras pertinent [7]). Cui si quis ratiocinationi magnam fidem habere non audeat, indicium saltem animadvertat, cui plura mox et validiora argumenta addentur.

---

1) Ov. Her. XIX, 221—224.

2) Ac. et Cyd. vs. 57.

3) Buttman. Mythol. II p, 120, cuius sententiam amplexus est C. Dilthey. De Callimachi Cydippa p. 47. cf. Gruppe p. 828[1].

4) De Call. Cyd. 42, 53, 61, 66[1], 91.

5) vs 221.

6) vs 57.

7) cf. quae de insularum, Thessaliae, Arcadiae Nymphis pro antiquissimis earum regionum incolis habitis exposita sunt apud Preller—Robert I, 724.

Tertio documento utimur fragmento Heraclidis, qui in commentariis De Rebus Publicis IX, 1 haec de Ceo protulit [1]). *Ἐκαλεῖτο μὲν Ὑδροῦσα ἡ νῆσος· λέγονται δὲ οἰκῆσαι Νύμφαι πρότερον αὐτήν· φοβήσαντος δ᾽ αὐτὰς λέοντος εἰς Κάρυστον διαβῆναι. Διὸ καὶ ἀκρωτήριον τῆς Κέω Λέων καλεῖται. Κέως δ᾽ ἐκ Ναυπάκτου διαβὰς ᾤκισε καὶ ἀπ᾽ αὐτοῦ ταύτην ὠνόμασαν..... Ἀρίσταιον δέ φασι μαθεῖν παρὰ μὲν Νυμφῶν τὴν προβάτων καὶ βοῶν ἐπιστήμην, παρὰ δὲ Βρισῶν τὴν μελιτουργίαν· φθορᾶς δὲ οὔσης φυτῶν καὶ ζῴων διὰ τὸ λείπειν ἐτησίας* . . . Quae si quis comparat cum Callimachi versibus 54-58:

*Κεῖε, τεὸν δ᾽ ἡμεῖς ἵμερον ἐκλύομεν*
*τόνδε παρ᾽ ἀρχαίου Ξενομήδεος, ὅς ποτε πᾶσαν*
*νῆσον ἐνὶ μνήμῃ κάτθετο μυθολόγῳ,*
*ἄρχμενος ὡς νύμφῃσιν ἐναίετο Κωρυκίῃσι,*
*τὰς ἀπὸ Παρνασσοῦ λῖς ἐδίωξε μέγας*
*Ὑδροῦσσαν τῷ καί μιν ἐφήμισαν, κτέ.*

insignes sunt inter utramque narrationem similitudines miraque discrimina. Cei enim historia apud utrumque scriptorem incipit ab aetate nympharum, qua aeque atque Tenus et Andrus [2]) *Ὑδροῦσσα* appellaretur, uterque leonis illas violentiam passas esse narrat. Eas, quae apud Heraclidem nonnisi generatim nymphae audiunt, alias non fuisse atque Callimachi *Κωρυκίας νύμφας* fatorum evincit similitudo nec minus id quod paulo post inter Nymphas atque Brisas ipse Heraclides distinguit, quamquam et his illarum commune nomen minime abiudicari solet. Ergo praeter *τῶν Βρισῶν*

---

[1]) F. H. G. II, 214, 9.

[2]) Arist. fr. 167ª. Eustath. ad Dion. 523. Plin. N. H. IV. 62 et 65. Steph. Byz. s.v. *Τῆνος* p. 621 11. cf. Gruppe p. 749 n. 11—14.

etiam aliarum nympharum memoriam Heraclides in insula Ceo invenit, adeo autem debilem, ut ne nomen quidem earum superesset. Nominis notitiam Callimachi accuratis rerum antiquarum studiis debemus.

Nymphae Coryciae suntne insulae numina indigena? Si advenae Ceum occupaverunt, certe iam antiquissimis temporibus eas civitatem, ut ita dicam, Ceam adeptas esse auctores sunt Xenomedes et Heraclides, cuius optime „*πρότερον*" reddere mihi videtur Ovidii illud „quondam". Quas Heraclides de suis sedibus a leone proturbatas esse refert, illas, cum eadem de causa a Parnasso aufugissent, Cei refugium et novam patriam invenisse Callimachi sententia est. Qui fieri potuit, ut de eadem re prorsus contraria proferrentur? Parva insula duobus traditionibus locum vix dedit, opinor, atque rectius discriminis causa in scriptorum opinionibus quaeretur. Initium Hydrussa disquisitioni praebet, insulae pristinum nomen, quod ita Callimachus adhibuit, ut certam quandam de nympharum origine sententiam profiteatur. Omnino neglegenda non est minuscula vox, quae obiter perlegentem facile praetereat: '*Ὑδρουσσάν τῷ καί μιν ἐφήμισαν. Τῷ καί?* Qua autem de causa? Responsum, ni fallor, in praecedenti versu quaerendum est: quoniam Parnassus erat i.e. Parnassia spelunca Corycia, propter aquae eximiam abundantiam praeclara [1]) unde Ceum

---

[1]) cf. quae a Pausania in copiosa illa narratione, quam de Corycio antro in Parnasso sito dedit (X 32, 1—8), deque eius humore nec non de Nymphis narrantur (X 32. 7) *τὸ δὲ ἄντρον τὸ Κωρύκιον μεγέθει τε ὑπερβάλλει τὰ εἰρημένα καὶ ἔστιν ἐπὶ πλεῖστον ὁδεῦσαι δι' αὐτοῦ καὶ ἄνευ λαμπτήρων· ὅ τε ὄροφος ἐς αὔταρκες ἀπὸ τοῦ ἐδάφους ἀνέστηκε, καὶ ὕδωρ τὸ μὲν ἀνερχόμενον ἐκ πηγῶν, πλέον δὲ ἔτι ἀπὸ τοῦ ὀρόφου στάζει, ὥστε καὶ δῆλα ἐν τῷ ἐδάφει σταλαγμῶν τὰ ἴχνη διὰ παντός ἐστι τοῦ ἄντρου. ἱερὸν δὲ αὐτὸ οἱ περὶ τὸν Παρνασσὸν Κωρυκίων τε εἶναι Νυμφῶν καὶ Πανὸς μάλιστα ἥγηνται.*

transfugerant nymphae, ideo novis sedibus Hydrussae nomen intulerunt pristinis accomodatum neque illis ineptum. Ita Cei nomen mythicum explicanti simul Callimacho licuit ei studio indulgere, quod praecipue habebat in deliciis. Quantum enim posset sacra quaecumque in regionibus Graecis obvia ei essent, ex ipsa Graecia deduxisse poetam cognovimus. Praesertim autem Apollinis cultui prae ceteris favere solebat [1]. Peculiari sub Delphici dei tutela fuisse Parnassiam speluncam consentaneum est.

Cum Apolline etiam e nympharum numero una coniuncta dicebatur matrimonio, ex quo natus Lycoreus Lycoreae urbis eponymus exstitisset. Ita Coryciarum fabula, qualem Callimachus eam intellexit, cum Apolline quodammodo coniuncta videri poterat [2].

Quae omnia cum considero Callimchi verbis implicata, facere non possum, quin rogem: haeccine seria poetae sententia est, quamvis obscure designata? Nonne eruditae rationi indulgens, quod in rebus mythicis ad primam hominum aetatem pertinentibus semper est periculosissimum, nimis speciosa interpretatione in errorem inductus est? Ex humida spelunca migrantes, quoniam nimirum propter aquarum abundantiam sedium pristinarum insula memoriam suscitaret, ideo Ceum a nymphis Hydrussam appellatam esse credemus? [3] Mirum

[1]) K. Kuiper Studia. Callemachea II p. 27—29.

[2]) Paus. X. 6. 3 *λέγεται δὲ καὶ ἄλλος διάφορος λόγος τοῦ προτέρου, Ἀπόλλωνι ἐκ νύμφης Κωρυκίας γενέσθαι Λύκωρον, καὶ ἀπὸ μὲν Λυκώρου πόλιν Λυκώρειαν, τὸ ἄντρον δὲ ὀνομασθῆναι τὸ Κωρύκιον ἀπὸ τῆς νύμφης.*

[3]) Eas enim verbo *ἐφήμισαν* subiecto esse ratio fert. Alterum quod suspiceris: nympharum illa ratiocinatione homines (Ceos) usos esse, sicut ii Hydrussam insulam suam propter earum adventum appellarint, nimia obscuritate laborat.

in modum ita doctis ratiocinationibus indulsissent mythorum creatores! Sane si nomen illud in Parnasso exstitisset cum nympharum cultu praeterea coniunctum, tum bene se Callimachi opinio haberet, nisi etiam tum de tota hac nympharum origine aliter iudicandum esset. Cum tota Parnassia origo ab Heraclide aliena est, etiam praeter Ceum vicinas insulas duas Hydrussae nomine uti vidimus, Tenon et Andron, quibus tamen nulli mythi quicquam cum Delphica regione commune fuisse commemorant. Sed etiam per se consentaneum mihi videtur eiusmodi nomen, naturae condicionibus tantopere cognatum, in ipsis iis insulis ortum esse, sive e rerum contemplatione ), sive e mythis, qui pluvii aquarumque omnium abundantiam dei alicuius beneficio debitam ferebant [2]).

Heraclidis narrationem recte perspexit Gruppe [3]), quatenus nexum, quo cum Euboea (Eretria) Ceus coniuncta fuerit saeculo octavo vel septimo ineunte [4]), memoriam in ea servari censet. Verum huic rei confusio quaedam subest. Quas Heraclides nonnisi Nymphas nuncupavit, iis Corycium nomen vindicatum est. Eaedem leone perterritae Carystum aufugisse ab illo traduntur, cuius urbis heros eponymus Aristaei pater ducebatur [5]). Aristaeus cum Euboea etiam alio vinculo cohaerebat, Macridis enim euboeicae pater dicebatur [6]). Ecce, plane in Aristaei familiam deveniunt nymphae

---

[0]) cf. p 72.

[1]) Bursian Geogr. v. Gr. II. 467[2].

[2]) Haec est viri docti Gruppe (p. 749) sententia.

[3]) p. 234.

[4]) Busolt I[2] p. 455 cf. Broendsted I p. 68—69. Bursian Geogr. II. p. 417.

[5]) Bacch. fr. 45; Schol. Ap. Rh. II. 498 (p. 418[3] Merkel).

[6]) Ap. Rh. IV, 1132.

nostrae! Hoc autem multo melius quadrat in Brisas cum Aristaeo arctis vinculis cognatas, quam in Corycias nymphas, quarum praeterea in Euboea omnino nulla vestigia extant. At accurate inter *Νύμφας* atque *Βρίσας* distinguit Heraclides neque igitur cum in secunda narrationis parte Corycias commemoraverit, eodem nomine, porsus eadem ratione adhibito, in priore sententia Brisas significasse putandus est. Fata nihilominus, quae narrantur, ad has manifesto pertinent. Ergo nihil restat nisi ut Heraclidem errore inductum Coryciarum historiae ea immiscuisse putemus, quae Brisis ascribenda fuerant: quod fieri certo non potuisset, si usque in satis recentia tempora Coryciarum cultus mythusque in insula Ceo magna celebritate floruissent.

Iam acta res esset, nisi altera confusio extricanda restaret. Cum Cei incolis primis Aristaei fata coniungi solent ita ut leo, cuius ilas violentiam perpessas et Heraclides et Callimachus perhibent idem significare putetur [1]) atque illud quod homines factarum rerum potius et rationis curiosi quam fertilis ingenii, *ποικίλας* sibi fabulas fingentis, referunt de pestilentia, qua Ceum quondam affecerit Sirius [2]). Quo in summo periculo ab incolis auxilio arcessitus Aristaeus, cum a Iove (Icmaeo), ut *ἐτήσιαι* venti calorem sublevarent, impetrasset, pro insulae servatore habitus et postea divino honore affectus esse traditur. Varia de hac re testimonia servata sunt, e quibus praesertim huc faciunt Apollonii Rhodii versus Aristaei fata enarrantes [3]). De quibus, cum iam

[1]) K. O. Muller Kl. Schriften I, p. 58. Savignoni *Ἐφ. ἀρχ.* 1898. p. 234, de cuius sententia mox uberius dicetur.

[2]) Ap. Rh. II 517.

[3]) 516 sqq. cf. Diod. IV, 81, Hyg. p. a. 2. 4—5. Probus Verg. Georg. I. 14.

supra [1]) toti sint exscripti, nunc haec in medium proferre sufficiat.

Ea, quae de Coryciis nymphis deque leone Ceo Callimachus et Heraclides narrant, manifesto ad auream, quae dicitur, aetatem pertinent, qua cum mortale genus nondum existeret, lasciva nympharum familia locorum amoenitatem lusu suo complebant, donec leonis subito impetu perterritae aufugere cogerentur. Ex eiusmodi fabulis transgressi ad Apollonii narrationem quasi de coelo descendimus in hominum vitam cotidianam. Iam nulla ab eo nympharum fit mentio, Ceum tenet hominum solitum genus, qui cum pestilentia opprimuntur divino monitu sibi quaerunt *Λοίμου ἀλεξήτηρα.* Quanto spatio ab illius mythi haec distat natura! Praeterea leonis apud Apollonium [2]) ne levissima quidem memoria servatur; Sirium quod designari prodat, nihil in Coryciarum fabula invenitur. Qua igitur de causa cum alium rerum statum alia fabula exhibeat accurate inter utramque etiam e temporum ratione distinguendum duco, ita ut quae narratio minus fabulosa magisque solita et quasi quotidiana exhibeat, Sirii dico mythum, pro iuniore multo habeatur. Huic opinioni praeter alia, quae mox proferentur, hoc quoque favet quod multo frequentiora huius fabulae sunt vestigia in reliquiis Ceis. Nummorum enim, qui inde a Broendstedtii primis investigationibus inventi sunt, magna pars Sirii, Aristaei, apium, uvarum imagines exhibent [3]). Unde usque in satis recentia tempora inter Ceos homines vixisse hanc historiam intelligitur, leonis contra Coryciarumque nympharum fabulam summae fuisse antiquitatis iam vidimus.

---

1) p. 17.

2) Quae nunc commodi causa de uno Apollonio disseruntur aequo iure valent de ceteris, Diodorii, Hygini, Probi testimoniis.

3) Vid. p. 33 n. 6.

Si verum vidit Savignoni[1]: *τίς καὶ μόνος εἶνε ὁ πυρὴν τοῦ μύθου ἐν ἀμφοτέραις ταῖς μορφαῖς ἐφ' ἃς παρεδόθη ἡμῖν. Ὁ λέων, ὡς καὶ ὁ Σείριος, σημαίνουσιν ἐνταῦθα ἓν καὶ τὸ αὐτὸ πρᾶγμα, ἤτοι τὴν δύναμιν τοῦ φλέγοντος ἡλίου.* [2] Quae opinio, mihi quidem minime probata, inter eas est numeranda quae pro certis constitui nequeunt, quippe quae magnam partem, documentis deficientibus, ex ipsius cuiusque investigatoris iudicio pendeant. Attamen si verum vidit Savignoni id erit ita intelligendum, ut antiquissimis temporibus nympharum Coryciarum leonisque historia eandem calamitatem homines Cei significaverint quam multo post cum earum memoria e populi vita religiosa evanuisset ac ipsae Coryciae paene in oblivionem abissent per Sirii Aristaeique fabulam celebrarint Quod ipse vir doctus quadamtenus voluisse mihi videtur[3]. Attamen temporum discrimen adest multo maius maiorisque momenti, quam quod inter eiusdem mythi varias formas intercedere consentaneum est. Ad leonis fabulam illustrandum, saepius referri solet ad imaginem prope Iulidem rupi insculpta[4]. Duo autem haec nullo modo concinnanda esse

---

1) *Ἐφ. ἀρχ.* 1898. p. 234.

2) cf. Bursian Geogr. v. Griech. II. 468. Primus, quod sciam hanc interpretationem invenit K. O. Müller Kl. Schr. I. p. 57. cf. Gruppe p. 237. Preller Robert I. 445.

3) l. l. *ἡ παράδοσις αὕτη, ἥτις ἐλλιπὴς σώζεται ἐν ἀποσπάσματί τινι Ἡρακλείδου τοῦ Ποντικοῦ συμπληροῦται πως ὑπὸ ἄλλης, νεωτέρας ὡς φαίνεται, καθ' ἣν ὁ Ἀρισταῖος ὁ θεῖος τρόφιμος τῶν αὐτῶν Νυμφῶν, Βρισῶν καλουμένων ἔσωσε τὴν Κέων κτλ.*

Nympharum duas familias non inter se confudisset vir doctus, si novum Callimachi testimonium, quo tempore haec scribebantur, iam innotuisset.

4) Leonem delineandum curavit Broendstedt pl. XI. fide autem dignius est apographon phototypicum, quod Savignoni disputationi suae addidit.

Bursian animadvertit. Si quis sculptor leonis imagine nympharum fabulam illustrare voluisset, ex quarum fuga promunturium quoddam Ceum *Λέων καλεῖται* non in media insula, sed prope vel in ipso illo *ἀκρωτηρίῳ* locum ei destinasset aptiorem [1]). At Corycias nymphas, quibus non Cei primas fuisse sedes iam hic illic indicasse mihi videor, neque in Parnasso neque alibi usquam a quovis leone fugatae esse traduntur. Ergo figura illa nonnisi Cei mihi videtur earum historiae inserta esse, ita ut sive e fabulis Brisarum quibuscum arcte cohaeret, sive ex alio quodam mytho, qui iam Callimachi temporibus funditus perierat, traductus sit. Illud mihi veri similior videtur, nec tamen in hac re quidquam demonstrare possum. *Ἀνάθημα ἱδρυμένον τῷ Ἀρισταίῳ ἕνεκα τῶν εὐεργημάτων* monumenti explanatio est, quam prosposuit Savignoni. Brisarum is quidem historiam respicit, nec tamen hanc difficultatem evasit: Graeci moris non erat anathemata in summis montibus condere solitaria. Melius certe se habet viri docti Bursian opinio ,,warscheinlich ein Grabdenkmal für irgend einen gefallenen Bürger von Iulis". Euismodi simulacra multa Phryges habebant, e quibus nonnulla [4]) Cei leonis memoriam facile suscitant, non minus saltem quam milesia illa, quae Savignoni attulit.

Quid revera sibi velit Cea illa imago, diiudicari, me quidem iudice, non potest; a Coryciis autem nymphis mihi aliena videtur.

Sed iam satis procul a Coryciis nostris aberravimus, quarum undenam proveniant cultus nomenque operae

---

[1]) Bursian Geogr. II 471. n. 2.

[2]) l. l.

[3]) l. l. p. 471.

[4]) Vid. Perrot-Chipiez V p. 109, 118, 138, 155, 177, 200, 220.

pretium est disquirere. Nomen variis locis invenitur. Cei im primis atque in Parnasso[1], ut iam vidimius; *Κώρυκος* appellabatur et mons prope Erythras situs[2], et Lyciae Pamphyliaeque urbes[3], promunturia duo *Κωρύκια* erant[4], alterum Creticum, Ciliciae alterum, a quo XX stadia celeberrimum Coryricium antrum aberat, ubi Iovem a Typhonis saevitia servavit Panis dolo adiutus Hermes, in orphico hymno XXVIII, 8 *Κωρυκιῶτα* invocatus. Quod ultimum vestigium premendum multis annis postquam primus Panofka Hermis cultum in his omnibus respici duxerat, iure statuit Gruppe[5].

Excepta una insula Ceo Coryciae nymphae notae non sunt nisi *Κωρύκια ἄντρα* habitantes Cea autem eiusmodi spe-

---

1) Her. VIII, 36; Paus. X. 6, 3.

Strabo XI 3 p 417: *ἱεροπρεπὴς δ' ἐστὶ πᾶς ὁ Παρνασσός, ἔχων ἄντρα τε καὶ ἄλλα χωρία τιμώμενά τε καὶ ἁγιστευόμενα· ὧν ἐστι γνωριμώτατόν τε καὶ κάλλιστον τὸ Κωρύκιον νυμφῶν ἄντρον ὁμώνυμον τῷ Κιλικίῳ.* Nonnus Dion. IX. 283 sqq recentiore e versione Corycias nymphas cum Baccho coniungit haud secus atque Aesch. Eum. 22—26 et Eur. Bacch. 559. cf. Stat Silv. V. 35, Ov. Met. I, 320.

2) Thuc. VIII, 14; Paus. X, 12, 7.

3) Liv. XXXVI, 43, 13; XXXVII, 12, 10; Dion. Per. 855; Prisc. Per. 804; Avienus Descr. orb. I, 1017.

4) Strabo VIII. 3 p 363 Cythera parvis insulis circumdantur. *εἰς δὲ Κώρυκον ἄκραν τῆς Κρήτης ἐγγυτάτω πλοῦς ἐστιν σταδίων ἑπτακοσίων πεντήκοντα* XIV 5. 5 p 670 (Ciliciae loca enumerantur) *εἶτ' Ἀνεμούριον . . . . . . καὶ Κώρυκος ἄκρα, ὑπὲρ ἧς ἐν εἴκοσι σταδίοις ἐστὶ τὸ Κωρύκιον ἄντρον ἐν ᾧ ἡ ἀρίστη κρόκος φύεται.* Steph. Byz. v. *Κώρυκος· πόλις Κιλικίας· Παρθένιος προπεμπτικῷ . . . . καὶ ἀκρωτήριον Κρήτης. Κωρυκία καὶ λιμὴν Αἰθιοπίας* cf. praeterea Cic. ad fam XII 13. 3. Ps Asc. ad Cic. Verr. II. I, 56 Liv. XXXIII 20. 4. Eutr. VI. 3 non antrum commemorant sed urbem Ciliciae. Hanc vero a celeberrima spelunca, cuius erat in vicinia, nomen accepisse consentaneum est. Quod haud minus valet de promunturio illo Ciliciae cf. supra Strabonis locum Vid. etiam Etym. M. 551. 51.

5) p. 1333.

lunca nusquam commemoratur. Ergo hocine nympharum genus, Ceo oriundum, alio postea transgressum cavernas habitare coepit? An potius deserta pristina spelunca, cum Ceum venisset, naturam ad novas loci condiciones applicasse nymphas putabimus? Haec opinio ipsa iam veri similior, etiam valde corroboratur, si, undenam provenerit nomen, accurate disquirimus. Cui rei — et nunc redimus ad Gruppii [1]) ratiocinationem — ansam praebet vocis signficatio. *Κῶρυξ* sive *κώρυκος* saccus est [2]). Saccus autem in nympharum cultu nullas umquam partes egisse videtur, cum contra, quae „sacciger" deus in Corycio antro perfecerit, celeberrimus mythus laudabat. Itaque nymphas a Corycio antro appellatas esse veri simile duco.

Hermi saccus erat notissimo attributo, quem *κώρυκος* appellatum esse ex invocatione illa collegit Gruppe [3]). Itaque si revera ab Hermis *κωρύκου* vel ab Herme *τοῦ Κωρυκιώτα* nomen acceperunt antra Corycia, nunc, utrum Parnassiae an Ciliciae speluncae prius hoc accedisse videatur, diiudicare oportet. De hac autem re dubitari vix potest. Licet enim a Parnassia spelunca nec Hermes neque Pan — nymphae hac ex parte non veniunt in censum — alienus fuerit [4]) tamen ibi nonnisi

---

[1]) p. 91.

[2]) cı. Stephani Thes. L. Gr. s. v. Quod *κώρυκος* appellari quamvis caveam convallemve in Prelleri enchiridio legitur (Preller-Robert 1, 722) id ita intelligendum est, ut sacci nomen propter formae similitudinem facile de speluncis quoque poetice usurpari potuerit.

[3]) Apollod. I. 39-44. De mythi aetate cf. Gruppe p. 1333 ..... obwohl die beiden Fassungen von der Besiegung des Typhon durch Hermes oder Kadmos wohl erst in alexandrinischer Zeit entstanden sind, so setzen sie doch eine weit ältere wahrscheinlich in die vorgriechische Zeit Klein-Asiens hinaufreichende Legende voraus. Ja sie haben deren wichtigste Züge im ganzen so treu bewahrt, dass über deren Bedeutung ein Zweifel nicht möglich ist.

eorum veneratio commemoratur, nullis additis mythis fabulisve, quibus origo significetur. Quanto autem graviores partes uterque deus agit in Cilicio Typhonis Iovisque certamine! De ipso hoc mytho in Apollodori bibliotheca fuse enarrato, cuius elementa aegyptia, cilicia, semitica, luculenter distinxit W. H. Roscher [1]) multa dicere vix opus est; non enim ipsam Typhonis historiam, sed Coryciarum nympharum nomen inde explicare studemus. Haec igitur sufficiat partim ipsius, qui dicitur, Apollodori verbis referre. Gigantes, cum a dis Olympiis essent devicti, *Γῆ μᾶλλον χολωθεῖσα μίγνυται Ταρτάρῳ καὶ γεννᾷ Τυφῶνα ἐν Κιλικίᾳ.* Deinde monstri describitur immanis et horrenda figura, cuius praesertim *ἑκατὸν κεφαλαὶ δρακόντων*, nec minus id quod *ἀπὸ μηρῶν σπείρας εἶχεν ὑπερμεγέθεις ἐχιδνῶν, ὧν ὁλκοὶ πρὸς αὐτὴν ἐκτεινόμενοι κορυφὴν συριγμὸν πολὺν ἐξίεσαν* digna sunt, quorum mentio fiat. Hic enim cthonicae religionis vestigia animadvertimus Gruppium secuti, quam suspicionem auget ignis, quem *ἐδέρκετο τοῖς ὄμμασιν*. Typhonis impetum Olympii praeter unum Iovem bestiarum formis se abdituri in Aegyptum effugerunt. Zeus primo quidem monstro feliciter resistit, quod usque ad Casium montem persequitur, sed mox ab eodem perdomitus excisis nervis in Corycium antrum conicitur [2]). Nervos Typho in ursi pelle ibi (sc. in Corycio antro) abdidit atque *κατέστησε φύλακα Δελφύνην δράκαιναν* [3]). Hermes autem atque Aegipan [4]), vel, si Nonno [5]) fides est

[1]) Jhrb. f. cl. Phil. XLI (1895) p. 333. cf. Gruppe p. 327.

[2]) c. 39.

[3]) c. 41.

[4]) c. 42. De hac parte fabulae conferatur K. Kuiper. De hymno in Mercurium. Mnem. XXXVIII (1910) p. 1-50. Videantur praecipue p. 38-40.

[5]) Nonn. Dion. I, 420 sqq.

habenda, Pan et Cadmus *ἐκκλέψαντες τὰ νεῦρα ἥρμοσαν τῷ Διὶ λαθόντες.*

In hoc mytho explanando prorsus adstipulor viri docti Gruppe [1]) sententiae· „Typhon ist hier wie gewöhnlich in diesem Grenzgebiet der phoinikischen und griechischen Kultur, Gott des verderblichen Windes vielleicht des Glutwindes. [2]) In einer Höhle haust er, weil Grotten als Stätte der Wind- und Wettergeister galten, in der Korykischen Höhle wird der Mythus lokalisirt, weil zum Windzauber ein Sack *κώρυκος* gehörte." Itaque Hermes, cui iam attributo erat saccus ille, propter pugnam cum Typhone, ventorum deo, vel potius daemone, commissam, a quo antrum illud Corycium appellatum est, etiam maiore iure factus est *Κωρυκιώτης*. Nam non solum ex attributo suo Hermen illa invocatione usum esse inde colligitur, quod etiam Pani *Κωρυκίῳ* cognomen inditum est, quod nisi ex illo mytho nescio quomodo explicari potuerit. [3])

Mythi originem repetendam esse ex ea aetate, qua frequentia florebant inter Phoenices, Cretes, Graecos commercia in maris Mediterranei angulo illo [4]) suadent Hermis Cadmique mutuationes, atque quomodo Pan nisi Creta oriundus, eorum historiis inseri ea aetate potuerit, haud facile est intellectu. Atque adeo mythum etiam antiquiorem esse negare non ausim. Nam fieri potest, ut graeca eiusdem elementa, primitus aliena, postea, cum Graeci mercatores recipere coepissent de

---

[1]) p. 1333.

[2]) cf. quae de Typhonis visu leguntur apud Apollod. 1, 41.

[3]) cf. Opp. Hal. III. 15:

*Πανὶ δὲ Κωρυκίῳ βυθίην παρακάτθεο τέχνην,*
*παιδὶ τεῷ, τόν φασι Διὸς ῥυτῆρα γένεσθαι,*
*Ζηνὸς μὲν ῥυτῆρα Τυφαόνιον δ' ολέτηρα.*

[4]) Etiam in Cadmi mythis *κώρυκος* invenitur, quo attributo inter chthonica numina ordinari videtur Gruppio (p. 251.).

religionibus Orientis nonnulla, ab iis assimilata sint peregrinis. Ita Cadmo Hermes substitutus esse potest in rerum versione penitus graeca. [1])

Quae suspicio et mythi natura corroboratur neque minus fidei accipiet, si quomodo ab antro illo Corycii nominis vestigia dispersa sint, animadvertetur. Typhonem, quem Gaia post Titanum cladem peperit [1]), iam matris nomen inter chthonica, quae dicuntur, numina collocat. Nec minus eodem ipsa natura sua relegatur, venti cuiusdam deus vel potius daemon [2]). Idem valet de Herme (Cadmo) propter *Κωρυκιώτην* cognomen. Ventos enim, quos cum mortalium animis cognatione quadam coniungebant antiqui, inter ea numina habita esse a Graecis, quibus sedes regnaque in imis terris assignabantur, cultus permulti docent. Typhonis spelunca, qualis a Pomponio Mela describitur [3]), eiusmodi daemoni quasi suam sedem offerebat. Licet multa fortasse in mirabilius auxerit chorographiae scriptor, rivi, quos in intimo monte nasci, praesertim „amnis, qui ingenti fonte elatus, mox ubi magnum impetum brevi alveo traxerit iterum demersus abscondi" narratur, locum chthonico cultui aptum reddebant atque idem valet de Parnassio antro [4]). Talis enim situs naturaque loci cum religione illa semper coniuncta fuisse videntur [5]).

Quam igitur ab altera parte statuimus mythi aetatem, ea nunc ex his rebus validum subsidium accepit. Florente Minois, quod dicitur, regno, unice vel saltem praecipue colebantur a Graeciae atque etiam ab Asiae

---

[1]) Apollod. I, 39.

[2]) Gruppe p. 1330.

[3]) Chorogr. I, 13.

[4]) Videantur, quae p. 76. e Pausaniae l. X. 32. 7 exscripta sunt

[5]) cf Gruppe, ubi de Delphorum historia antiquissima agit. (p. 101).

incolis chthonici daemones[1]) deive. Itaque ea aetate mythus in Cilicia ortus, mox receptus videtur a Cretibus, quos nomen Corycium rerum mirabilium fama adornatum in subactas Asiae partes, Pamphyliam, Lyciam, Ioniae oram, Cycladas atque etiam in Parnassum transtulisse suspicor[2]). Ita autem de mytho plurima periisse docent varia loca, quibus cum pristinis Typhonis latebris nihil nisi nomen commune erat. Quid mirum, si eodem modo Ceum nymphae, quibus antrum illud non caruisse consentaneum est, solae pervenerunt? Fieri optime poterat, ut nympharum cultus, primitus Corycio antro addictus, paulatim ab illo loco seiunctus sit, ita ut Nymphae Coryciae iam per se cultae facile huc illuc cum incolis migrarint. Alia sane est Callimachi opinio nymphas a Parnasso deducentis, quae eadem iam antequam illius fragmentum, quo nunc utimur praecipuo fonte, inventum erat, viro docto Gruppe

---

[1]) Gruppe p 754 cf. E. Meyer. Gesch. d. Alt. I², II, § § 481 et 485.

[2]) Gruppe p 252; Non tamen audienda mihi videtur haec sententia (p. 329): „Phoinix und Kadmos sind vielleicht schon von den ionischen Städten in Karien aus an die Südküste gebracht worden, sowohl nach Lykien ... als nach Kilikiën wo Kadmos dem Zeus gegen Typhon (Typhoeus) hilft und Bruder des Landeseponymen heisst." Cadmus autem ex Ionia translatus in Typhonis mythum, in quo primarias partes agit, pugnat, quantum video, cum ipsius Gruppii sententia secundum quam fabula illa vestigia „praehellenica" servavit (p. 1333). Huc etiam tendit Apollodori (III, 2.) genealogia . *Ἀγήνωρ δὲ παραγενόμενος εἰς τὴν Φοινίκην γαμεῖ Τηλέφασσαν καὶ τεκνοῖ θυγατέρα μὲν Εὐρώπην, παῖδας δὲ Κάδμον καὶ Κίλικα*, quae, licet satis recenti fortasse versione, tamen antiquissima inter Cadmum Ciliciamque vincula demonstrat et arctissima. Ambagium, quibus per Ioniam rursus in Ciliciam pervenisse Cadmum censet Gruppe, (p 329) indicia nulla invenire possum. Nomina, quae documenti loco vir doctus attulit, inverso ordine rerum haud peius explicantur. De Parnasso cf. supra p. 76.

placuerat [1]. A quorum summa auctoritate ut dissentiar, duobus inducor causis iisque, ni fallor, satis validis. Cretes imperium suum propagantes prius insulas occupasse — quod etiam non sine pugnis factum esse vidimus [2] — quam ipsius Graeciae partem interiorem veri simile mihi videtur.

Itaque eius religionis, quam Cretes intulisse probabile duximus Ceum prius quam Parnassum participem fuisse suspicor. Huic argumento alterum accedit. Ceus nihil e Cilicio mytho recepit nisi nymphas, quas cum leonis fabula scriptores copulaverunt. Leonis autem historia sive inde ab origine sua Cea, sive aliunde (Lesbo?) in insulam nostram translata ) est, ibi tantum ad nymphas Corycias pertinet. Parnassia fabula quasi e longinquo rerum Ciliciarum speciem refert. Eidem sane dei partes suas agunt hic atque illic, utrumque antrum nymphis sacrum erat, cetera quoque nomina eadem inveniuntur cultusque, sed rerum gestarum, quibus illa omnia originem suam debent, in Parnasso nulla memoria servata est. Ita fit, ut primas sedes suas Coryciis nymphis non in sanctissimo illo monte fuisse suspicer. Quae res, si ipsa a fabulis Ceis satis distat, tamen propter Callimachi opinionem percensenda mihi visa est. Argumentorum, quae hucusque data sunt, fidem etiam alia indicia augent. Imprimis ipsa vox „Parnassus" inter ea nomina numeranda est, quibus originem „praehellenicam" vindicavit Kretschmer [3]). Quod etsi non omnino obstat, quominus Parnassiae fabulae pro indigenis habeantur, tamen eius rei probabilitatem non auget. Deinde Ovidii Pausaniaeque loci,

---

[1]) p 828 n. l. cf 234 sqq.

[2]) c. II. § 4.

[3]) cf. p. Kretschmer Einl. i. d. Gesch. d. Griech. Sprache p. 405 sqq.

ut non ad easdem res, tamen ad eandem aetatem referendi sunt.

Ovidii enim versus[1]):

Hic ubi Deucaleon, nam cetera texerat aequor,
Cum consorte tori parva rate vectus adhaesit,
Corycidas nymphas et numina montis adorant
Fatidicamque Themin, quae tunc oracla tenebat,

multo antiquiores condiciones produnt, quam ceterae fabulae ad eandem regionem pertinentes. Coryciae enim nymphae ab Ovidio iam iis temporibus floruisse dicuntur, quibus — quod postea erat Apollinis sanctissimum officium — „oracla tenebat fatidica Themis", perantiqua chthonica dea[2]). Cum ea igitur quodammodo coniunctae, nymphae nostrae ita quoque in chthonicae religionis fines relegantur. Hisce si ex vetere fonte et fide digno fluxerunt, egregie ea confirmantur, quae supra e Cilicio mytho de nympharum aetate collecta sunt. Attamen, quanta cautione opus sit in Ovidii mythologoumenis percensendis, vix necessarium est monere. Aequo iure suspiceris factum esse, ut Coryciarum nympharum nomine nonnisi in universum montis deos designare voluerit poeta, cuius testimonium tum ad nostram investigationem utile nihil affert. Attamen eodem fere tendit Pausaniae narratio quaedam. Postquam primam urbem, in Parnasso a montis heroe eponymo conditam, Pausanias *ὑπὸ τῶν ομβρων τῶν κατὰ Δευκαλίωνα συμβάντων κατακλυσθῆναι* commemoravit[3]) homines, quotquot tempestatem effugere potuerunt, *λυκῶν ὠρυγαῖς* salutem petiisse refert *ἐς τοῦ Παρνασσου ἄκρα ὑπὸ ἡγέμοσι τῆς πορείας τοῖς θηρίοις*. Urbs autem, quam

---

[1]) Met. 318—321.

[2]) vid. Gruppe p. 101 n. 7, 1080, n. 6.

[3]) Paus. X, 6. 2.

ibi postea condiderunt *ἐκάλεσαν ἐπὶ τούτῳ Λυκώρειαν* Alia traditio statim subiungitur: *λέγεται δὲ καὶ ἄλλος διάφορος λόγος τῷ προτέρῳ Ἀπόλλωνι ἐκ νύμφης Κωρυκίας γένεσθαι Λύκωρον καὶ ἀπὸ τούτου μὲν Λυκώρου πόλιν Λυκώρειαν, τὸ ἄντρον δὲ ὀνομασθῆναι τὸ Κωρύκιον ἀπὸ τῆς νύμφης*. Quae cum considero, facere non possum, quin recentiora distinguam a vetustioribus. Pausaniae prior narratio optime cum iis condicionibus convenit, quas in Ovidii versibus cognovimus. Ovidius, exceptis solis nymphis Coryciis, eorum deorum, quos postea coluit regio Parnassia, mentionem nondum ullam fecit. Neque hoc mirum est, nam Graeci erant dei illi, haec autem narratio pertinet ad res, quae vel ante Deucalionis Pyrrhaeque tempora, quos Graeci novi generis humani creatores suosque ipsorum proavos ducebant, facta erant. Homines illi, quos lupis vitam debuisse a Pausania accepimus, quin incolarum „praehellenicorum" memoriam servent, equidem dubitare vix possum. Sed quinam illi fuerint, suspicari tantum possumus. Recentior in his fabulis videtur Apollo, quippe cuius nulla mentio fiat in rebus ad eam aetatem pertinentibus, qua „fatidica Themis oracla tenebat". Atque hoc earum fidem auget, nam novimus quoque, vel saltem probabile est, Apollinem cum chthonici cultus florerent in Parnassiam regionem nondum pervenisse, ubi postea religio eius victrix in antiquioris locum successit[1]).

Si priorem Pausaniae atque Ovidii fabulam ad chthonicae religionis aetatem pertinere iure constituimus, cum porro ipsius Parnassi nomen Asiaticae sit originis,

---

[1]) v. Wilamowitz-Moellendorff. Hermes 38 p. 570 cf. Busolt Griech. Gesch. I². p. 673. Gruppe p. 1235: Wilamowitzius Apollinis cum dracone pythio certamen Creticae de dei adventu fabulae postposuisse videtur.

iam quid sibi velint lupi illi, quorum hospitio salutem primi montis incolae debere feruntur, perspicitur. A vero aberrare virum doctum Gruppe, fabulae versionem etiam antiquiorem inveniendam ratum, qua lupi forma ipse Apollo uteretur, sequitur ex iis, quae Wilamowitzium secuti de Apolline nuper observavimus. Iam homines illos bestiarum nomine illustrari vidimus, inde autem suspicio oritur eos in Pausaniae narratione respici, quos ita Graeci semper designarunt, *τοὺς Λυκίους*. Huic opinioni favet et vox Parnassus, neque minus id, quod nympharum Coryciarum, quas eorum aetate in Parnassum pervenisse coniuncta Ovidii Pausaniaeque testimonia docent, memoriam crebri per totam Asiae oram praesertimque in Lycia urbes, portus, montes servant. De secunda traditione, quae apud Pausaniam invenitur, multa dicere vix opus est. Iure in ea Lycoreae *αἴτιον* perspexit v. Wilamowitz [1]). Urbis eius cives, quo maiore gloria splenderet patria, ita rem finxisse dixeris, ut Apollo postquam victor eas terras in dicionem suam redegisset, unam ex iis nymphis in matrimonium duxisse diceretur, quarum cultum ab antiquissimis temporibus Lycorenses quasi *αὐτόχθονα* celebrabant. Si quis propter Lycorea filium Apollini patri cognomen *Λύκειον* hoc quoque in mytho debitum ducit, minime agit temere. Si porro cognomen illud Lycia oriundum pro certo domonstrari posset, alterum subsidium nacti essemus ad Callimacheam opinionem refellendam idque validissimum.

Parnassius nympharum cultus diu procul ab insula Ceo morandi causae fuit, quod tamen necessarium erat, ut Callimachi rerum explicatio refutaretur.

---

[1]) l. l. p. 585 n. 3.

Inquirentes in eius mythi originem, qua Coryciarum nympharum fata cum insula Ceo copulantur, quid demum repperimus?

Oriundae e Cilicio antro cum Cretibus, quo tempore ii non solum Asiam sed etiam maris Aegaei remotos angulos mediamque ipsam Graeciam visitabant [1], in omnes regiones nymphae nostrae migrarunt vel saltem nomen sive suum sive speluncae suae emiserunt. Quae cum ita sint non solum per se consentaneum est Ceum quoque, ubi mythus inter antiquissimos habendus est, eodem modo eisdemque temporibus a nymphis occupatam esse, cum iam ab antro suo solutae per se colerentur, sed etiam, quae Callimachus dicit, quaeque in Heraclidis narratione Gruppe collegit de loco unde Ceum transierint, accurata mythi investigatione omnino non probantur. Si revera Parnassium cultum cum Lycia vel saltem cum Asia coniungit Lycoreus, Coryciae Apollinisque (Lycei?) filius, e patria transgressus mythus Cei considere tantum non debuit. Ibi denique cum leone illo, cuius Heraclides et Callimachus mentionem faciunt, consociatae sunt Coryciae nymphae.

---

[1]) cf. E. Meyer, Gesch. d. Alt. I² § 511. 524. De Parnasiis cultibus Creta oriundis cf. Gruppe p. 89 et 101.

# CONCLUSIO.

Initium cum cepit investigatio nostra a Callimachi carmine, tamen in singulis rebus haud raro ab antiquo duce discessit. Ferebant hoc et ratio ipsa et studiorum methodus. Ab antiquis enim longe distat universa, quae nunc viget, de rebus mythicis opinio; alia quoque de iis populis, quibus multa Graeci sacra profanaque debebant, de Cretae, dico, Asiaeque incolis vetustissimis ostendit nostrorum temporum doctrina, atque cognita habebant alexandrinae aetatis homines eruditi. De ipsius quoque Cei insulae rebus, quas tractat hic libellus, idem valet. Quem librum perlegens, si quis eo offenditur, quod fundamenta, quae in secundo capite struere nobis visi sumus, accuratiora pollicerentur quam deinde mythorum investigatio docuit, ipsi studiorum materiae discrimen illud, quaeso, attribuat. Documentis enim magis minusve certis utimur in historia conscribenda, incedentes vero per mythorum nebulosam regionem indicia quaedam pauca sequimur eaque plerumque satis dubia. In mythologica autem disquisitione neglegere noluimus id quod historica investigatio docuit. Idcirco cum Leleges Caresque, gentes Asiaticas, in Cei dominatione Cretibus praecessisse iudicassemus, ratio postulavit, ut eam fabulam, quae neque Cretibus neque Phoenicibus interce-

dentibus ex Asia in insulam nostram transiisset, ceteris putaremus antiquiorem Quapropter a Callimachi ratione discedentes mythum de Coryciis nymphis Telchinibus postposuimus.

Praeter duas illas fabulas ea quoque narratio, quae de Cyparisso ab Ovidio traditur [1], ad eadem tempora „praehellenica" pertinere mihi videtur. Sed ad eam penitus cognoscendam singulari disquisitione opus est, in qua praesertim fontium Ovidianorum investigationi amplum spatium concedi oportet. Quod cum in praesens longe nos deducat, eam dissertationem cum ceteris Ceorum mythis recentioribusque in aliud tempus differre praestat.

---

[1]) Ov. Met. X, 106—142.

# INDEX SCRIPTORUM RECENTIORUM.

—


E. Meyer. Geschichte des Altertums. I². p. 28, 29, 33, 36, 43, 64, 65, 81, 87. „Karien" in Ersch und Grubers Encycl. I sect. II, 33; p. 29, 43.

G. Meyer. Die Karier. p. 29, 33, 37, 45.

K. O. Müller. Kleine Schriften. p. 72, 75.

Neuman-Partsch. Physikalische Geographie von Griechenland. p. 57.

Olshausen. (Rhein. Mus. N. F. VIII) p. 27, 33.

Paton & Myres. Carian sites. (J. H. St. XVI) p. 29, 30, 41, 43.

R. v. Pöhlmann. Grundriss der griechischen Geschichte. p. 34, 37.

L. Preller. Griechische Mythologie, 4e Aufl. von C. Robert (cit. Preller-Robert.) p. 58, 63, 66, 67, 75.

W. Prellwitz. Die Telchinen (Bezz. Beitz. XV) p. 62, 63.

A. Pridik. De Cei insulae rebus. p. 2, 27, 31, 33, 35, 37, 45.

Perrot & Chipiez. Histoire de l'art dans l'antiquité. V p. 76.

A. Puech. Acontius et Cydippé. (R. E. G. 1910) p. 5, 6, 16, 32.

E. Rohde. Der Griechische Roman und seine Vorläufer. p. 50, 52, 53, 55.

W. H. Roscher. (Jahrb. f. class. Philologie XII) p. 79.

Roscher. Ausführl. Lex. d. Gr. u. röm. Myth. p. 50, 52, 64.

Savignoni. Ἐφ᾽.ἀρχ. 1898. p. 27, 29, 33, 73.

M. Schanz. Röm. Litt. Gesch. II³, I. p. 18.

O. Schrader. Sprachvergleichung und Urgeschichte. p. 61, 62, 63.

Tsountas. Ἐφ᾽.ἀρχ. 1898 & 1899.; p. 27, 29, 30.

W. Vollgraff, Nikander und Ovid. p. 18.

S. Wide. Lakonische Kulte. p. 2.
Die griech. Religion (Gehrcke-Norden. Einleitung in die Altertumswissenschaft I) p. 66.

Wolf-Aly. Karer und Leleger. (Philologus XVIII) p. 29.

U. v. Wilamowitz-Moellendorff. (Hermes XXXVIII) p. 15, 86. (G. G. N. 1906.) p. 51, 58, 61.


---